APOLOGETICUS PRO SOCIETATE IESU. R.P. IOANNIS ARGENTI EIUSDEM SOCIETATIS IESU. IN QUO...

Giovanni Argenti, Giovanni Battista Coccini

APOLOGETICVS
pro
SOCIETATE
IESV.

R. P. IOANNIS ARGENTI EIVSdem Societatis Iesu.

In quo.

PLERAEQVE OMNES CALVMNIAE, QVAE IN HANC SOCIETATEM A VARIIS, IN CAVSA Venetorum, Regni Gallicani, Angliæ, Boemiæ, Transyluaniæ & aliarum Prouinciarum conijci solent breuiter ac dilucidè refelluntur.

AD SERENISSIMVM:
SIGISMVNDVM POLONIÆ ET SVECIÆ
Regem Potentissimum, Magnum Lithuaniæ
Ducem, &c.

PERMISSV SVPERIORVM.

COLONIAE AGRIPPINAE.
Apud Ioannem Kinckium sub Monocerote
ANNO M.DC.XVI.

ARGVMENTVM
HVIVS APOLOGETICI.

PRimo, secundo, & tertio capite, Scopus Autoris est, vt Societas IESV sincerè omnibus innotescat; cur enim aliqui de ea malè sentiant, ea est causa, quia illam non norunt; quid verò ipsa in Regno Poloniæ, tum vniuersè, tum sigillatim in Liuonia, Russia, Smolenscij, Vkraina, Samogitia agat, aperitur; atque ex ijs, ipsa in Regno Poloniæ minimè inutilis esse, vel noxia infertur.

A Capite quarto ad nonum diluuntur, quæ obijciuntur Societati; ipsaque ostenditur non politica esse, non opulenta, non auara, non alienis bonis inhians, non munera ob dignitates impetratas captans, non Nobilium iura, aut priuilegia infringens, non turbarum auctrix, non malam doctrinam seminans, nec publicam ciuitatum pacem perturbans.

A Capite decimo ad decimum quintum, Societatem inìquè traduci demonstratur, cùm tempestates, quibus in alijs Regnis iactata est, vel ex mala doctrina, vel ex malis moribus ortæ asseruntur; omnia autem vel pro religione, vel pro iustitia passa esse declaratur; & *libelli famosi* ad perdendam Rempublicam apta instrumenta esse comprobantur.

CApite decimo sexto, quia Aduersarij nituntur ostendere Societatem in multis, vel potiùs omnibus Christianorum Regnis esse exosam, in contrarium testimonia afferuntur, petita à summis Pontificibus, Concilijs Generalibus, Imperatoribus, Regibus, Principibus tàm secularibus, quàm Ecclesiasticis; & numerantur ij, qui in Regno Poloniæ Collegia fundàrunt, vel fundata auxerunt. Et tandem nullam fidem *libellis famosis* habendam esse, quin eorum auctores, lege tum ciuili, tum Ecclesiastica, mulctandos esse demonstratur.

INDEX CAPITVM.

SE-

SERENISSIMO SIGISMVNDO TERTIO, POLONIÆ ET SVECIÆ REGI,

Magno Lithuaniæ Duci, &c. &c.

IOANNES ARGENTVS SOCIETATIS IESV, Regis Regum gratiam, & regnandi fœlicitatem precatur.

SCOPVS AVCTORIS.

Caput. I.

IAM tertius agitur annus, REX Serenissime, cùm maiorum meorum voluntate in hoc Regnum veni, vt hanc vtramque Poloniæ & Lithuaniæ Prouinciam, de more Societatis nostræ visitarem, vtriusque statum inspicerem; quos profectus vel defectus haberent, examinarem; mala (si quæ essent) amouerem; bona pro virili promouerem: omnia denique secundùm institutum nostrum, vel in ordinem redigerem, vel antea redacta confirmarem. Qua de re, cùm Sacram Regiam Maiestatem Vestrā Dominum clementissimum, tunc Orsæ in expeditione Moscouitica versantem, certiorem fecissem, officijque mei rationem exposuissem, V. S. R. M. fœlicem visitationis successum precata, præclaram suam, Regiamque in me, & Societatem, beneuolentię propensionem, litteris suis clementer testatam esse voluit. Regijs igitur auspicijs munitus, primam ad opus vltimamque manum apposui. Quare illud vnum restare vi-

debatur, vt sicuti ante visitationem, de eadem ad Sereniss. R. M. V. retuleram: sic ea absoluta, de Societate ipsa aliquid referrem. Quod neque ab officio meo alienum, neque S. M. V. ingratum fore existimaui.

Principio igitur, vt omnia succederent è sententia, eam actionum, conatuumque meorum regulam adhibendam censui, quæ ad maiorem Dei gloriam omnia dirigeret; maiora S. R. M. V. obsequij religiosi officia præstaret, communi omnium, priuatoque singulorum bono, plura spiritualia cōmoda afferret, summam denique Religioni nostræ perfectionem pareret. Cùm enim intelligerem hanc nostram minimam Societatem non sibi soli natam, sed veluti *granum sinapis*, à Deo Opt: Max: in Ecclesiæ suæ agro seminatam, vt in ea *volucres cæli*, id est, homines cœlo nati, nonnihil præsidij ad salutē inuenirent, omnem meam in eo industriam collocaui, vt nostræ Religionis homines, qua diligentia in propriam perfectionem incumbunt, cum eadem aliorum quoque saluti sese impendant. An autem quod sum secutus, assecutus fuerim, nouit ille, qui omnium dicta, facta, cogitata nouit, norunt & illi, qui actionum mearum fuere testes, atque spectatores. Eorum igitur esto iudicium.

Scopus huius relationis. Satis mihi erit in præsenti cum S. R. M. V. seruare, quod in alijs Prouincijs ac Regnis, cum alijs Principibus & Regibus non inutiliter me seruasse memini. Postquam enim Collegia, & Prouincias in eorum ditionibus sitas visitassem, rationem aliquam visitationis dare consueui; vt ipsi rerum nostrarum veritatem ex veræ relationis fonte haurientes, non facile ex aliorum delationibus errores imbiberent, inceptumque à nobis pietatis cursum vel retardarent ipsi, vel certè retardare nitentibus conniuerent, neuē illum fœliciter consumaremus impedimento essent.

Intelligit opinor S. M. V. quò mea collimet intentio: illud enim ago, vt S. M. V, statum nostræ Societatis in suis ditionibus commorantis sincerè cognoscat, actiones benignè aspiciat, personas ac domicilia Regia auctoritate (vti hactenus se-

nus fecit) clementer protegat. Quanquam ad hoc præstandum, alio peculiari, magisq; proprio nomine impellor, quia videlicet tam qui nobis bene in hoc Regno volunt, quàm qui maleprecantur, nos S.R.M.V. humillime addictos norũt ac prædicant, diuerso licet sensu atque affectu. Amici enim, cùm nostram Societatem in hoc Regnum à maioribus vocatam, & communibus tum Regni, tum Regum suffragijs in eodem confirmatam, gratia Regia foueri vident, plurimùm gaudent; gaudent inquam, quia hoc & Regia clementiæ dignum, & Regni commodis opportunum, & iuri Diuino humanoq; consonum agnoscunt. Inimici verò oblique hæc intuentes, & bona malè interpretantes, dolent, obloquuntur, nec solùm nos, sed & ipsamet R.M.V. in inuidiam vocãt. Quæ vel vnica ratio satis erat, vt meæ visitationis cognitionem aliquam S.R.M.V. darem, non solùm quia ipsa mihi est instar omnium, sed etiam vt per ipsam qui de nobis minus rectè informati, de nobis minus rectè sentiunt, nosque Regno Poloniæ vel inutiles, vel etiam noxios esse persuasum habent, veritatis lucem aspicientes, tandem verum de nostra Societate iudicium ferant. Quod si obtinuero, me non inutilem meæ Religioni operam nauasse, S. autem M. V. & gloriosæ Polonorum Reipublicæ debitum officium præstitisse iudicabo.

Neminem igitur carpere, neminem accusare, neminem lędere propositum habeo, solam veritatem patefacere cupio. quare si interdùm aliquod non nostrum crimen in nos contortum vel vanum ostendero, vel etiam ictus declinandi gratia in ipsius auctorem retorsero, id S. M. V. non voluntati contendendi, quæ à me procul abest, tribuat: sed potiùs necessitati, quę me cogit, adscribat. Sicuti si quid fuerit, quod paulò elatius in mei Ordinis commendationem prolatum videri possit, id non à vanitate aut ambitione profectũ censeat, etiam atque etiam peto. Noui enim nos esse minimos, & demissè de nobis sentiendum esse. Verùm, vt cùm Paulo in non dissimili, sed necessaria commendatione sui, loquar: *Factus*

sum insipiens, vos me coegistis. illi, inquam, coëgerunt, qui nimis
1.Cor. c.12. multa & grauia de nobis vel sparserunt, vel ab alijs sparsa
crediderunt. Quod si coactus cum Paulo insipiens fui, quare
cum eodem non liceat deprecari, vt hanc iniuriam (si quod
optimo iure fit, iniuria dici potest) donetis mihi? maximè
cùm veritas, quam alio modo demonstrare non potui, effe-
cerit, vt in hoc genere peccarem, si peccaui. Vt enim officio
meo facerem satis, duo de Societate ostendere debui; illam
nimirum nec inutilem esse, nec noxiam Regno Poloniæ:
quorum neutrum meliore, certioreuè ratione præstari posse
censui, quàm *si fructus, à quibus arbor cognoscitur*, in medium pro-
ferrem.

Sanè si rem absque interprete calamo aperire potuissem,
verbis libenter pepercissem, & nudam veritatem contem-
plandam proposuissem; quod cùm facere non valuerim,
prudentissimi V.S.M. iudicij erit, nucleum veritatis à verbo-
rum cortice denudare, eumque non tam meis verbis, quàm
suis expressum coloribus intueri. Ego autem, vt S.M.V. gra-
uissimis occupationibus distentæ, harum literarum lectio-
nem faciliorem reddam, eas in capita distribuam, eumque
ordinem seruabo; vt priùs, cur nonnulli de nobis malè sen-
tiant, aperiam. Deinde, quid Societas in Regno agat, demõ-
strem. Tertiò, ad accusationes quasdam respondeam. De-
mum, quænam fides accusatoribus habenda sit, declarem.

CVR ALIQVI DE SOCIETATE *malè sentiant.*

Cap. II.

VT autem à primo ordiamur, illud in primis S.R.M.V. a-
periendum occurrit, quod primò mihi in has Prouin-
cias aduentanti obuiam quasi venit, simile prorsus ei, quod
olim ante 40. ferè annos mihi accidisse memini. Cùm enim
adolescens vix aliquam de Societate notitiam, nullam cum
eius hominibus familiaritatem haberem, multa autem (vt
hæc sæcula ferunt) tum à sodalibus, tum ab alijs non infimæ
notæ

motæ vitis,de ijſdem ſatis grauia audirem: quæ etſi ſuſpecta erant, nec in religioſos homines cadere poſſe videbantur; tamen neſcio quo modo,vel fucus ſermonis, vel auctoritas narrantis falſa,reddebant probabiliora veris, meque interdum ſi non credere,ſaltem hærere, & certa in dubium vocare penè cogebant.At cùm diuino impellente numine, Societatem propius acceſsi,& patribus familiariter vti cœpi,ſtatim errore detecto veritatem aſpexi,& quàm innocens eſſet hæc religio,quamque immeritò tot morſus ſuſtineret,intellexi:ergo animum ſtatim mutaui,& ex dubio certus, ex alieno intimus factus fui, Societatemque eo ardentiùs amaui, quo certiùs ea,de quibus antea dubitabam,falſa eſſe perſpexi; ſed quod magis admirabar,iis virtutibus illam maximè excellere aduerti, quarum contraria vitia ei potiſſimùm antea didiceram adſcribi. Iam verò quod mihi in Italia acciderat adoleſcenti,ecce in Polonia accidit ſeneſcenti. Nam etſi inſtitutum noſtrum ſemper ſanctum iudicaui, nihilominus cũ toties illud in Polonia à multis ac magnis exagitari,toties tam multis, tamq; grauibus cenſuris oppugnari, toties non nugacibus,vt aiunt,paſquillis,ſed famoſis, iiſq; acerbiſſimis libellis lacerari intelligerem,non poteram non vereri aliquã fortè,ſi non ex malitia, ſaltem ex imprudentia à noſtris cauſam præberi. Verùm cùm in has Prouincias veniſſem,& earum immenſitatem longè lateq; menſus fuiſſem, noſtra domicilia luſtraſſem,perſonas ſingulas examinaſſem,miniſteria exploraſſem, actiones ſcrutatus fuiſſem, & à nobis nullam cauſam tam apertè,tam acerbè,tam generatim atq; vniuerſè maledicendi datam eſſe reperiſſem, non potui fratres meos non ijs verbis alloqui, quibus Chriſtus olim ſuos allocutus eſt diſcipulos:*Beati eſtis,cùm maledixerint vobis homines, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduerſum vos mentientes propter me, gaudete, & exultate,quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis.* *Matth.5*

Quod ſi quærat aliquis,REX Sereniſsime, qui fieri poſsit, vt omnia,quę de Societate ſiniſtrè ſpargu ntur,ſint falſa, cùm tam multi minimè rerum ignari,illa credant, & aſſerant eſſe

verissima. Illud ego respondebo, quod ante decem annos sapientissimè respondit æterna memoria dignus, & magnus Societatis nostræ Patronus, HENRICVS Quartus Rex Galliarum Christianissimus: *eum nimirum morem inoleuisse, vt quæcunque à Societatis hominibus proueniunt, quantumuis sancta, ab aliquo semper in deprauatos sensus detorqueantur, nodus in scirpo quæratur, maledico dente carpatur.* Hæc ex ore Regio. Et meritò. Non enim desunt nostra tempestate, *qui,* inquit sanctus Hieronymus, *proprij oculi trabe neglecta, in alieno oculo festucam quærunt, lacerant sanctum propositum, & remedium pœnæ suæ arbitrentur, si nemo sit sanctus, si omnibus detrahatur, si turba sit pereuntium, si multitudo peccantium.* Possem ego Regio oraculo addere plura, sed illud satis, si qui nobis obloquuntur, à nobis religione dissentiunt, mirum non esse Societatem eos experiri hostes, cum quibus perpetuum habet de religione certamen. Prodigium esset, si aliter esset. Nam quoad Catholicos, sufficit quod infra innuemus: eos, qui malo in nos sunt animo, Societatem, non nosse, institutum non intelligere. Quemadmodum enim, *quis aut quantus sit mons,* inquit ille, *procul non apparet, sed cum accesseris;* sic nec quænã sit hæc religio, nisi cùm pernoris. Cùm igitur multi Societatem nunquam è vicino conspexerint, semper à longè steterint: quid mirum, si à vero quoque longè absunt, nihilque de ea, nisi à malè sentientibus, & vel famosos libellos nostrum nomen proscindentes obtrudentibus, *vel mendacia,* vt loquitur S. Cyprian. *aduersus sacerdotes Dei de diaboli ore prolata, ad rumpendum charitatis vinculum vbique iactantibus, percipiunt.* Hoc non fugiebat eundem Henricum IV. Regem prudentissimum, qui Societatem nostram à *nemine insimulare posse, nisi ab eo, cui ignota esset, dictitare solebat: & cur antiqua,* (vt ipse vocabat) *Sorbona eandem damnasset, hanc vnam causam fuisse asserebat, quòd illam non nouisset.*

Ant: Possev. Toz. Soc: Ap.

Epist. 99.

Epist. 92.

Fortè non deerit, qui rationem hanc infirmare volens, dicat, non quidem credendum ijs, qui semper à longè steterunt, nunquam è vicino Societatẽ contemplati sunt; minimè tamen iudiciũ eorum esse spernẽdum, qui vel aliquãdo familiariter cum Societate egerunt, vel etiam intra ipsius viscera, (vt

ta, (vt ita loquar) vitam duxerunt, qui quàm malè de ea ſentiant, loquantur, & ſcribant, nullus eſt tam hoſpes, qui hæc ignorare valeat. Huic quoque obiectioni reſpondit idem, de quo modò loquebamur, Rex Chriſtianiſsimus, quem aliquando teſtatum audiuimus, cùm ex ijs, qui in Societate vixiſſent, poſtea trāfugę facti, de malo in malum ruentes, tandem ipſis infeſtiſsimis hoſtibus noſtris adhæſiſſent, quæſitum fuiſſet, quid de Societate ſentirent, eos reſpondiſſe: *de moribus nihil eſſe, quod obloqui quiſque poſſit, de doctrina quid doceat, neminem latere.* Hoc non tam aliorum, quàm ſapientiſsimi Regis certum fuit teſtimonium, qui non prius Societatem antea dimiſſam, in Galliam reuocauit, quàm eius integritatem omni genere teſtium exploratiſsimam habuerit. Quanquam ſi quis eiuſmodi reperiretur, qui maledictis nos laceraret, eum vir prudens non magis mirari deberet, quàm ſi Luciferum audiret maledicentem cœlo, & Angelis ſanctis, à quibus eiectus eſt, tanquam indignus qui cum illis habitaret. Fortè qui hæc obijciunt, legerunt aliquando, vel audiuerunt fictum quendam Cambilhonem, qui vt in Germania Societatem infamaret, ſe in Societate vixiſſe, & ex ea fugiſſe, atque ad hæreticos migraſſe mentitus eſt. Egregium facinus, vt nos infamaret, ſe priùs duplici apoſtaſia à fide & religione infamem pronunciauit. *Ant: poſ. To: 2. Sac. Ap.*

Viderint igitur, qui vel tam auidè libellos conuicijs & criminationibus refertos, atque aduerſus Societatem euulgatos legunt, vel tam libenter ijs aures præbent, *qui*, vt ait S. Cyprianus, *vel furori ſuo, vel libidini ſeruientes, & diuinæ legis ac ſanctitatis immemores, iactitare interim geſtiunt, quæ probare non poſſunt: & cùm innocentiam deſtruere, atque expugnare non valeant, ſatis habent famæ mendaci, ei falſo rumore maculas inſpergere.* Viderint, inquam, quos iſta delectant, quā meritò ijs credāt, quibus ne credatur, iura omnia sāciūt. Melius, ni fallor, facerēt, ſi ipſimet propius ad Societatē accederēt, proprijs, vt aiūt, oculis res noſtras inſpicerēt, manib' tractarēt, cur hoc vel illud fiat, peterēt; an hæc vel illa vera ſint, interrogarent, *Ep. 42.*

garent;& nisi omnibus fieret satis, tunc demum Societatem conuictam crimine proclamarent. Verùm cur aliqui de Societate malè sentiant, hæc attigisse sit satis, alibi alias dicendi non deerit locus. Ad mores igitur eiusdem Societatis & ministeria progrediamur.

MORES, ET MINISTERIA SOCIETATIS. Cap. III.

EVM in mea visitatione, REX Serenissime, modũ tenui, vt quid intra domesticos parietes ageretur, proprijs oculis inspicerem, quid extra cum proximis fieret, diligenter examinarem. Et quidem quoad domestica, libenter ea silentio inuoluissem, nisi vt loquerer, me coegissent illi, *qui*, vt cōqueritur S. Hieronymus, *prætermissa suarum domorum cura, nimis diligentes se præbuerunt alieni instituti scrutatores*, & domi nostræ Diuinum languere spiritum, vigere humanum, lingua atque calamo disseminarunt. Ne tamen in hoc quoque argumento extra religiosæ modestiæ limites excurram, de rebus nostris priuatis illud modestè potius innuisse, quàm gloriosè prædicasse placet Deo beneiuuante, disciplinam religiosam apud nos non iacere, institutum primigeniam virtutem, primumque colorem retinere, Religionem suæ vocationis integritatem adeò illæsam conseruare, vt eam liceat multorum filiorum virginem matrem appellare. Vt mirum non sit (quicquid obstrepent alij) multos ætate florentes, ingenio præstantes, pietate claros, qui sanctioris vitæ genus elegerunt, illi suum nomen dare, vt sicuti non desunt, qui publicis, tum diuinis tum humanis Reipublicæ studijs, magna sua gloria, magnoque Regni emolumento animum addicant, & operam nauent: sic non desint, *qui rebus humanis feliciter contemptis, humanæ naturæ limites*, vt loquitur S. Basilius, *quasi transgrediūtur, & terram adhuc incolētes, in Mon conuersationem habeant in cœlis, Deoq́, ipso in re omnium diuinorum diuinissima, magno ipsorum merito, magna populorum vtilitate fideliter cooperentur.* Vereor ne arrogans videar, REX inuictissime, si dixero Societatem esse virtutis, pietatis, doctrinæ officinam, perpetuò omnibus apertam: spero tamen hoc non negaturos eos, qui norunt

Epist. 99.

Serm. de inst. Mon

S. Dionis.

norunt nos pro tenuitate nostra, nonnullam operam præstare ijs,qui in altiori dignitatis gradu constituti,perfectiore quidem modo hæc tractant,non tamen labores nostros reijciunt,quin potius tanquam vtiles expetunt; vt sunt tot illustrissimi sacrorum Antistites, tot vigilantissimi animarum Pastores, tot religiosissimi virorum Deo dicatorum ordines, quibus tantum abest, vt nostri se præferant, vel conferant, vt potius quemadmodum de se, & magno Basilio, magnus asserit Nazianzenus, *cum omnibus certent,non vt primas ipsi ferant,sed vt alijs illas concedant, vltimas ipsi teneant;* & in castris Dei non quidem statarij militis locum præsumant,tamen vt auxiliares copiæ, Deo & Ecclesiæ non inutilem operam nauent. *Orat. de laud. S. Basil.*

Iam verò,quia à priuatis rationibus ad publicas progressi sumus,non ignorat V. S. M. Religiosos in duas quasi classes esse distributos. Alij enim intra monasteriorū septa,monasticam,id est,solitariam vitam viuunt,cum alijs autem, aut parum,aut nihil agunt; sed Diuinis mysterijs contemplandis intenti, *sibi & Deo vacant, & in terris tanquam ciues sanctorum*, vt ait Nazianzenus, *Angelicam vitæ rationem consectantur.* Alij verò ad imitationem Christi,& Apostolorum,præter suam, proximorum quoque salutem quærunt,& contemplationi actionem coniungentes, ea doctrinæ & pietatis præsidia sibi comparant, quæ proposito fini assequendo maximè inseruiunt. Hinc verbi Diuini prædicatio, sanctissimorum Sacramentorum, Pœnitentiæ in primis & Eucharistiæ administratio, pia cum proximis congressio, rudium in vera religione eruditio, infirmorum,carcerum,hospitalium frequens visitatio, iuuentutis denique in disciplinis, Nobili Christianoque viro dignis, bona institutio. Vtroque religionum genere floret Polonia, quæ non contenta antiquis religiosorum vel ordinibus,vel domicilijs, noua in dies tum Collegia,tum Monasteria fundat, & nouos Ordines alibi natos, summa pietate & liberalitate ad se inuitat. Porrò cùm nostra Societas inter eas religiones,quæ proximorum saluti seruiunt, locum habeat, *Exhort. ad Virg.*

 ijs qui

iis quibus illa ipſa quo q; inſtructa eſt præſidiis,& à magno Patrefamiliâs conducta, in vinea Domini excolenda, vi inſtituti,vocationisq; suæ impensè laborat. Hinc factum, vt ſicuti quæ intra domeſticos parietes fiunt, videre: ſic quæ foras in conſpectum hominū prodiunt,excutere debuerim, quod ita præſtiti,vt nihil obiter obiecrim,ad limam omnia reuocarim.

Vellem,Rex Sereniſſime,omnia quæ reperi cùm religioſa vocatione,tùm Regia pietate digna,offerre V.S.M. vt quod ipſa ſuo prudentiſsimo iudicio percipit,ex me etiam intelligeret:verùm quia id ſummi laboris eſſet,& S.M.V.plus æquò occuparet,illuſtriora quæq; & in ſplendidiore luce collocata, tanquam per ſe nota omittam,paucula quædam, quaſi poſt vberem meſſem relictas ſpicas colligam,factoque veluti manipulo,V.S.R.M.ſumma cum animi demiſsione offeram:nec dubito,quin ipſi pro ſua clementi in nos beneuolentia,faſciculus,eſto tenuis,gratiſsimus ſit futurus.Fateor equidem me non reperiſſe omnia omnibus numeris,vti optaſſem , abſoluta;quod & ſi non eſt mirum,ſiquidem nihil ſub cœlo omni ex parte beatum?dolendum tamen, quia votis non reſpondet lucrum animarum , pretioſiſsimo Chriſti ſanguine redemptarum. cuius autem culpa , vel iniuria id fiat, mox explicauero, facto ab extrema ditionis V. S. M. parte narrationis initio.

LIVONIA.

EA eſt Liuonia,quę cùm in longum (ſi credimus Geographis) centum Polonica milliaria habeat, & multùm in latum ſe extendat, non plures quàm octodecim Catholici Sacerdotes ante annum in ea numerabantur;à quibus myſteria ſalutis,tantus in tanta vaſtitate populus,vel diſcere poſſet, vel percipere.Quid? quòd ex ijs aliqui ita ſenio ſunt confecti, vt vix ſibi vacare,alijs nullam opem queant ferre? Alij verò ita rerum inopia preſsi,vt potiùs victu ſibi quærendo,quàm anima-

animabus Christo lucrandis, cogantur occupari? Non ita pridem, cùm in loco quodam nunciatum esset, vnum è nostris Sacerdotibus adfuturum, occurrerũt quinquaginta adolescentuli pro Baptismo suscipiendo, quorũ nullus erat, qui annos, vt vocant, discretionis non attingeret; multi etiam decimum octauum, & vigesimum superarent annum, vt prius reliquis humanis functionibus adolescerent, quàm vt Christiani nominis caractere initiarentur.

Ad illas animas, omni præsidio spirituali destitutas, iuuãdas accurrũt fideles Societatis nostræ socij, qui ardenti salutis animarũ siti excitati, ad illos magnos, & omni humano solatio nudatos labores vltrò se offerunt. Hîc ego, Rex Serenissime, res nostras non amplifico, nec vanitatis causa ostento, id quod est, nudis verbis expono: soli accurrunt nostri, soli *pondus diei & æstus portant*. Nam etsi ipse salutis auctor IESVS, alijs annuit socijs: illi tamẽ, vel quia desertis agris, vastatis Ecclesiis, necessarijs ferẽdo labori subsidijs dastituũtur, vel quia alias sibi creditas oues deserere nequeunt, vel ob alias Deo notas, mihi ignotas causas, nos solos difficillimo loco, periculosissimo tempore, laboriosissimo opere, Christum ducem sequi sinunt; qui ipsi quoque cum simus pauci, & potiùs dissipata domicilia, quàm formata Collegia habeamus, non omnibus opem ferre, salutaremque manum porrigere velemus, esto *totos dies, totasq; noctes laboremus*, & perpetuò huc illuc per villas & castella, seminandæ pietatis gratia excurramus. Sed quanto interdum dolore cruciamur, cùm (quod non rarò accidit) in conspectu nostro oues à lupis rapi cernimus, nec ijs succurrere, nec multis alijs malis mederi possumus? Nam si nostri Sacerdotes, tanquam fideles gregis Christi custodes, vel morsu doctrinæ lupos arcere, vel prædicationis voce oues, vt sibi caueant, monere volunt; non desunt, qui ne id fiat, non solùm in locis hosti subiectis, sed in ipsis Regijs bonis obicem ponãt. Ex quo intelligit V.

S. M. ad paucitatem operariorum accedere etiam defectum debitæ libertatis in salute procuranda animarum.

Lapidem mouissent literæ à venerabili Capitulo Vendensi, non ita pridem ad me datæ, dum & calamitates populi in genere salutis explicabant, & fructum institutæ hoc anno vendæ Societatis residentiæ, & vt plures Sacerdotes, & puerorum magistros submitterem, per Deum ipsum & Sanctos omnes obsecrabant; neque ad me solùm, ad ipsum etiam Generalem Societatis Præpositum scripserunt, idemque ab eo summis precibus contenderunt. Hanc enim vnicam spem esse dicunt, iacentem in Liuonia pietatem erigendi, & extinctam ferè auitam religionem excitandi. Cuius rei, non tam spem conceperunt, quàm pignus acceperunt. Vident enim tam Vendæ, quàm in locis vicinis rerum faciem immutari, templa squallore horrida ad pietatis cultum conformari, labefactata instaurari, deserta exornari, sacra mysteria frequentari, ipsam plebem post diurnos labores in Ecclesia congregari, Diuinas preces simplici quidem, sed Diuinis auribus suaui cantu ad Deum fundi, veteres piorum virorum sodalitates restitui, nouas erigi, supplicationes, piasque peregrinationes ad celebriora templa suscipi, easque (quod in tanta diuturni belli desolatione, prodigij instar videri possit) quatuor quinqueue Catholicorum millia comitari, vias, campos, syluas, deserta, cœlum ipsum Diuinis laudibus personare, viæ tædium, atque laborem, sanctis colloquijs, pijs que cantionibus ac concionibus leuari, omnes in ipso templorum ingressu summa veneratione, & gestiente lætitia, non solùm in genua, sed & in faciem prosterni, sacrum solum venerari, amplecti, osculari, vota piè persoluere, sibi mutuo de rouocata (vt cum ipsis loquar) pietate gratulari, peccata sacramentali confessione expiare, sacro Angelorum pane refici, proque eo ritè sumendo ad noctem vsque ieiunia protrahere, & nocte tota ad Deum preces fundere. In re vna defectus est, quòd cùm Sacerdotes pauci sint, vniuersæ multitudini confiteri volenti neutiquam aures dare possunt.

Videt

Videt V.S.M. quantus sit in nostris tum hominibus, tum ministerijs defectus, cùm nec tot simus, quot necessarij essemus, nec quantum opus esset, præstare possimus. Sed videt etiam hunc defectum vitio nobis non esse vertendum, qui facimus quantum possumus, & (absit à verbo iactantia) plus penè quàm possumus. His accedit & alter defectus aliorum fortè iudicio paruus, re autem vera magnus. Nam cùm tam Rigæ, quàm Derpati instituta essent Seminaria, in quibus ingenui adolescentes cum bonis litteris, bonis etiam moribus informarentur, illa vtrobique cum scholis ipsis iniuria temporum, & bellorum tempestas dissipauit, spemque ferè omnem abstulit, quam olim Serenissimus Rex Stephanus, & ipsa S.M.V. conceperat fore vt aliquando non deessent probi & eruditi huius Patriæ ciues, qui vera religione imbuti, & morum integritate ornati, rem Liuonicam restituere possent. Nos quidem reliquias colligimus, sed nisi potentior manus succurrat, opus iacebit, non paruo rei Liuonicæ malo. Speramus autem S. R. M. V. nostros conatus clementer promoturam, & ad sui imitationem excitaturam Illustrissimum tam Ecclesiasticum, quàm secularem magistratum, maximè quando necessitatem extremam esse intellexerit, & precium operæ constare aduerterit, vti Illustriss. Episcopum Vendensem, & Commissarium Liuoniæ Generalem iam aduertisse, & hunc Seminarium Rigæ, illum Residentiam Vendæ, liberaliter iuuisse intelleximus.

RVSSIA.

E Liuonia ad extremos Russiæ (quam albam vocant) fines gradum faciamus. In illis vltimis oris, Moscorum sæuitiæ expositis, rarissimi sunt pro vastitate loci Catholici sacerdotes, schismaticorum frequentissimi: nonnullos etiã nidos construxerunt hæretici. Orszæ, in Regia ciuitate, præter nostros, vnicus est Parochus, Polociæ verò nullus, nec qui velit esse, facilè reperitur, ob quotidianas molestias & pericula, quæ nostri quoque perpetuò experiri coguntur. Non-

dum eſt annus, Rex Sereniſsime, cùm quid illic ageretur, vidi; & licet abundè periculorum eſſet, lætabar tamen, cùm videremus noſtros ad omnia pro Chriſti honore ferenda paratiſſimos. Frequens eſt circa Orſzam Nobilitas Polona, quæ cùm Polonam fidem colat, (hoc enim nomine ad gloriam gentis religionem Catholicam appellant) facilè intelligitur, quàm meritò in tanta Sacerdotum penuria, S. R. M. V. probantibus bonis, Orſzæ Collegium Societatis erexerit, tanquam firmum in illis vltimis finibus fidei propugnaculum; intelligitur etiam, quò colliment illi, qui ne opus perficiatur, reſiſtunt; & ſi fieri poſsit, ipſa poſita fundamenta euerſa cupiunt.

Vtinam illi, qui Societatem noſtram in hoc Regno, vel imminutam, vel etiam (ſi quis eſt qui hæc cogitet) ſublatam vellent; ea viderent & audirent, quæ nos vidimus & audiuimus: non enim dubitarem, quin mutato conſilio, eandem Societatem & conſeruatam, & quàm maximè auctam optarent. Quoties in Lithuania, Liuonia, Ruſsia, Samogitia, incidimus in ſenes centum ferè annos natos, qui licet Catholici eſſent, nunquam tamen peccata ſua Catholicorum more expiârant? Quoties extrema ætate confectos vidimus, qui ſanctiſsimum Chriſti corpus non ſumebant, quia hunc dominorum, non pauperum cibum eſſe exiſtimabant. Quoties ceremonias ſuperſtitioſę gentilitatis à pluribus ſeruari aduertimus? Quoties & alia, & ſerpentum recenter reciſa capita collo appenſa geſtari, & tanquam Deum coli, noſtris oculis cōſpeximus? Sed hæc ſufficiant ad declarandum, quàm decens eſſet, vt illi, qui pauperum ſubditorum ſudore, ne dicam ſanguine viuunt, & magni atque opulenti ſunt, potiùs de multiplicandis religioſis, qui hos miſeros erudirent, & ad vltimum æternæ gloriæ finem dirigerent, quàm vt de illis vexandis vel opprimendis cogitarent.

Quod ſi quis dicat, ſe in illis partibus fuiſſe, & nihil horum aduertiſſe: facilè illi credam, ſi is ſit, qui ſua commoda quæſiuerit, animas neglexerit. Nos verò, qui non veſtra, ſed vos

quæri-

quærimus, illas perditas oues per maiora illa ignorantiæ, quàm terrarum deserta sectamur, vt eas ad ouile Christi reducamus. Fateor plurimùm Illustrissimos Præsules, plurimùm reliquos Prælatos ac Sacerdotes, spirituque Dei plenos religiosos viros in hoc agro Domini laborare; illud tamen possum affirmare, nostram Societatem aliquam agri Dominici particulam colendam assumere, populis vtilissimam, & Pastoribus, qui nos ad Societatem laboris accersunt, gratissimam. Sed progrediamur.

SMOLENSKO.

SMolenskum penetrare non potui, ob continuas, quibus tunc itinera infestabatur, Moscorum incursiones; sed neque mihi adeo necessarium fuit, cùm ibi mobilem tantū, ob bellicam expeditionem, residentiam habeamus. Verùm vt ab alijs accepi, cùm milite grande illud propugnaculum, nomine Regio, defendente, tandē nostri Sacerdotes ferè soli, interdum etiā soli remansêre. Mansêre autem, tum vt in extremis casibus solatio & auxilio essent militi, tū vt inuictam gentem Polonam in fide tū diuina, tum humana cōseruarent; quod adeò firmum ratumque illis fuit, vt nulla belli molestia, nulla rerum inopia, nullum vel euidens vitæ discrimen illos potuerit à semel suscepto munere deterrere. Ea enim Societatis nostræ conditio est, vt quod semel pro Christi honore, proximiq; salute suscepit, nunquam abijciat; sed constanter ad finem vsque, ipso Christo iuuante, perferat. Itaq; discedant alij, manebunt nostri, desit commeatus, vrgeat fames, nulla sit spes salutis, quid tandem facient? quamdiu vel vnus miles erit, cuius saluti eorum opera necessaria esse possit, vel cum ipso viuent, vel cum ipso cadent. tanta est illorum constantia, tantus salutis Polonæ amor. Sed non solùm in arce inclusi fidem suam probârunt, foris quoque in castris impigrè laborarunt: nam tota æstate proxime elapsa, in eo exercitu soli fuerunt, qui & Moscorum audaciam compescuit, & præsidio Smolenscensi suppetias tulit.

VKRAINA.

NON satis est Societati in Liuonia cum hæreticis, & in Russia cum schismaticis, pro religione Catholica certare; in Podolia etiam, maximè in ea parte quæ Vkraina dicitur, & cum his, & cum alijs in ipsismet Tartarorum finibus, ne dicam faucibus, cogitur dimicare. Illuc ante paucos annos vocati sunt nostri à viro Illustrissimo *Valentino Alexandro Kalinowski*, vbi vix vel Sacerdotem Latinum, vel templum Catholicum, vel veræ religionis exercitium reperias. Omnia sunt plena schismate, infecta hæresi, polluta Iudaismo, Catholici paucissimi. Iam Deo laus, homines ad humanitatem & pietatem informari cœperunt, ita vt Deus, qui antea vix de nomine ibi notus erat, iam suum locum tenere, iamque eius cultus propagari incipiat: & nisi præsentes Schytharum incursiones & pericula impedimento fuissent, plures aræ, pluræ sacella, illustrium virorum pietate ac liberalitate, erecta fuissent. Quæ etiam causa fuit, cur Illustrissimus *Stanislaus Zolkiewski Palatinus Kiouiensis & Exercituū Regni Polonia ductor*, circa Regni fines tuendos occupatus, coactus fuerit in aliud tempus differre consilium, quod habet fundandi Kiouiæ Collegij. Cùm enim Palatinatus ille multos alios terrarum spatio superet, à plurimis ipse templorum Catholicorum frequentia, Sacerdotum copia, auitæ religionis cultu superatur. Quod autem turbis excitatis fieri non potuit, ijs sedatis, benedicente Deo, fieri poterit. Interim tamen illud dolendum, quòd sit tanta penuria Sacerdotum, vt totus ille se ad Tartaros extendens tractus, à tam paucis Sacerdotibus colatur, vt neque seminiferendo, neque messi faciendæ sint pares. Certè vna omnium conspiratio esse deberet, vt plura vel Sacerdotū seminaria, vel religiosorū domicilia, ne Christi messis periret, instituerentur. Quæ cum negligimus, quid mirum, si ipse quoque Deus & nos, & nostra negligere videatur?

SAMOGITIA.

AD Aquilonem redeo, & Samogitiam considero; quæ etsi populum natura facilem, & ad pietatem propensum, Pastoresq; vigilantes habeat: tamen quia hi tanto gregi pascen-

pascendo non sufficiunt, non exigua pars ouium extra ouile aberrat, quarum aliæ hæresum lue laborant, aliæ nondum à gentilitiæ superstitionis morbo perfectè sunt sanatæ, quia neutræ hactenus salutiferę legis Christianæ pascua, erroribus impermixta, repererūt. Hęc quoad plebem & rusticorū conditionem: nam quoad Nobilitatem, alius defectus maximus erat, quia nimirum in genua iuuentutis institutione destituebatur. Hinc superioribus annis, Illustrissimi Pręsules, ad Societatē laborū, Societatē nostrā aduocârunt; & breui eā in Diuina gloria propagāda assiduitate, in plebe erudiēda solertiā, in abusibus tollendis dexteritatem aduerterūt, vt amplificandi, perpetuumque conseruandi fructus gratia, de Societate ibi fundanda cogitarent. Et cùm paulò ante Collegium, Illustrissimi viri *Ioannis Caroli Chodkieuicij* liberalitate, vt alibi dicetur, erigeretur, cum eo tota Samogitia conspirasse videbatur; Præsul re & verbo opus vrgendo, capitulum cooperando, ciuitatis Dominus situm & areas tribuendo: alij tam Ecclesiastici, quàm sæculares iuuando: Populus denique vniuersus sibi & nobis gratulando; vt meritò in eam spem venerim, si Societas nostra vsquam in Europa ad Christi sagenam implendam vtiliter operam suam locat, id maximè futurum in Samogitia.

Hæc Serenissime Rex, in extremis V.S.R.M. finibus, extra nostrorum Collegiorum quasi limites, à nostris fieri reperiꝫ: quæ etsi pauca sunt & exigua, non exiguū tamen zelum ostēdunt, nec exiguam in fide propaganda voluntatem, certè magnam erga Regnum Poloniæ charitatem, magnam erga S.M.V. obseruantiam declarant. Illud etiam innuunt, si nihil aliud à nobis in hoc Regno fieret, non tamen nos inter otiosos vel inutiles, multò minùs inter perniciosos esse reponendos. Verùm cùm hæc quæ in vltimis finibus fieri diximus, ijs comparata, quę in Regni visceribus, & in ipsis formatis Collegijs atque domicilijs fiunt, sint veluti granum aceruo collatum, clarè dignoscitur, quàm meritò Serenissimi Reges & Illustrissimi Proceres Societatem huc aduocârint, Domus

& Collegia fundarint, varijs Priuilegiorum ornamentis decorarint, semper fouerint, & ab omnibus iniurijs vindicarint. Quæ cùm sint omniū oculis exposita, mea nō egent explicatione. Quis enim nō videt, tot centena hominū Deo & religioni initiatorū, doctrina eruditorū, fide orthodoxorū, professione religiosorū, Christiano Catholicoq; Polonorū Regno magno esse ornamēto? Quis non fateatur, tot scholas in tot Collegijs, magno omnium Ordinum cōmodo esse institutas? Quis neget, tot viros pios & doctos, veritati propagandæ & erroribus conuincendis, qua scribendo, qua docendo, qua disputando, qua concionando, pari fructu ac conatu esse dicatos? Quis ignorat indefessam in moribus corrigendis operam; in docendis rudibus diligentiam, in solandis afflictis charitatem, vt hominibus vtilem, ita Deo esse gratissimam?

Hactenus de ijs, quæ à Societate fieri ego sentio; iam quod alij sentiant, aperio. Non rarò enim audiui, viros sapientia & dignitate magnos, solitos dictitare, si ea, quæ Societas se ipsa, cùm ijs, quæ per alios facit, compararentur, illam ab his, vti stellam à sole superari. Dicunt enim vltimis hisce temporibus, quibus refrigescente charitate abundauit iniquitas, *B. Ignatium Dei ducem, Parentem nostrū*, Diuino numine excitatum esse, vt quo tempore Lutherus infinita hæreticorum comitante caterua, nefarium bellum *Christo, Petro, & Ecclesiæ*, indicebat: eodē *Ignatius* militem scriberet, & hanc minimam Societatem, quasi manipulum militarem institueret, quo & Lutherum acerrimè oppugnaret, & Christianum orbem vniuersum ad *Christi, Petri, & Ecclesiæ* obsequium excitaret: indeque tantus fructus fieret, quantum à 70. annis factum esse, nemo est qui inficietur. Quem fructum à nobis factum esse nequaquam dicimus; illud tantùm asserimus; ad eos, qui illum sua cum laude fece-
1. Cor. 1. runt, excitādos, *Societate quasi voce, in hoc, in maligno positi mundi deserto,*
1. Reg. c. *clamante, Deum Ter Opt: vsum fuisse.* Qua in re si vlla gloria est, nō So-
17. cietatis, sed Dei est; cui minimè nouum est *per vilißima mundi, for-*
Prouer. *tia quæque confundere.* Vt enim Iudæorum terrorem *Goliam, minimo*
c. 6. *natu Dauide*, prostrauit, & homines ratione pollentes ad abie-

ctissi-

ctissimum, *formicam*, animal, vt prouidentiam discerent, remit sit; sic minima hac Societate, mundo, carni, diabolo bellum indixit, eiusque feruescente spiritu, alijs quàm plurimis, morum atque doctrinæ quasi facem præferre voluit. Qua in re, non magis alijs, vel religiosorum Ordinibus, vel animarum Pastoribus Societatem præfero, quàm quis vel eum, qui tuba animos ad pugnam excitat ac parat ipsi militi pugnanti, vel puerum præferentem facem Principi, cui præfert, iudicet anteponendum. Sed nullam ego comparationem, quam odiosam esse non ignoro, hîc instituo, solùm Societatem ad excitandos ad pietatem animos, à Deo suæ Ecclesiæ donatam esse contendo. Narrabat, me præsente, ante quinquennium *Sereniss. Ferdinandus Archidux Austriæ, Styriæ, &c.* cùm *Serenissimo Carolo eius Parenti* relatum fuisset, quodam die solenni centum homines sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum *Viennæ* sumpsisse, eum vehemerter gauisum esse; & subdidisse se magnæ fælicitatis loco habiturum, si quando similes de sua *Græcensi ciuitate* nuncius allatus fuisset: cùm autem tunc essent feriæ natalitiæ, aduocatus est æditũus noster, (eramus enim in Collegio) qui asseruit, in illa Christi nati solennitate, vltra tria millia consecratarum hostiarum, Græcensi populo in nostro templo fuisse distributa, vt nihil de Parochiali templo, & alijs strenuè rem Catholicam promouentium religiosis Ordinibus dicam.

Quantum autem eadem Catholica religio *Viennæ* sumpserit incrementi, narrent illi, qui eam indefessa vigilantia, & assiduo labore promouerunt; quo in genere maximè enituit opera *Illustrissimi Melchioris Klesselij illius Ecclesiæ Antistitis electi*, qui triginta amplius annis ex nobilissima celeberrimi S. Stephani Cathedra, gregi suo salutaria vitæ præcepta ingenti cum laude distribuit. Et quando, ob totius orbis Christiani ipsius consilijs innixi pondus, laboris socios admittere debuit, non alios quàm nostræ Societatis homines, sibi in Ecclesiastis officio substituere voluit. Illud mihi constat, ante triennium, corũ qui apud nos festis Paschalibus communnicarāt,

rationem initam esse, & septem circiter communicantium millia reperta fuisse; cum tamen nos, in celeberrima illa ciuitate, pars minima simus, si nobilissimum Episcopale, si parochiale, si plurima aliorum Religiosorum templa considéremus, in quibus magno cum decore Diuina mysteria peraguntur. Tantum autem religionis incrementum, tribuebat quidem Serenissimus ille Princeps Societati; at ego non tantum nobis adscribo, solùm doceo, antequam Societas à *Ferdinando Imperatore Viennam* vocaretur, & à *Carolo Archiduce Græcij* collocaretur, religionem Catholicam, in illis locis ferè extinctam iacuisse, post Societatis aduentum planè reuixisse; quod & in pluribus huius amplissimi Poloniæ Regni Ciuitatibus, atq; Prouincijs accidisse, sæpius authenticis documẽtis testata est V.S.M. & fatentur alij quàmplurimi grauissmi viri, qui tempora temporibus, & præterita præsentibus conferentes, hoc idẽ vident, prædicant, & Deo per Societatem acceptum referunt: qui vel nõ rogati sæpius fatentur, statim atq; Societas alicubi pedem fixit, rerũ spiritualium faciem esse immutatam: hæreticorum plurimos ad fidem conuersos: Catholicos in religione confirmatos, & virtutis amore inflammatos: salutarem doctrinæ Christianæ rudibus tradendæ rationem introductam: sanctissimorum Pœnitentiæ & Eucharistiæ sacramentorũ vsum reuocatum: assiduam verbi Diuini prædicationem excitatam: Diuini numinis timorem, eiusdem amorem, Diuinorumque mandatorum obseruationem in hominum mentibus plantatam: ingenuam iuuentutis institutionem propagatam: plurima alia ad Dei gloriam, Ecclesiæ ornamentum, religionis incrementum, populorum salutem, Regnorum vtilitatem, sanctè & laudabiliter instituta. Quis fecit hæc; non Societas fecit, vel si quid fecit, non totum fecit, minimam fortasse partem fecit; alij fecerant, ad quos tamen excitandos Societatis opera vsus est Deus. Nam cùm peculiari instituti sui ratione Societas ad iuuandas animas se vocatam sentiret, illa media sumpsit, quæ maximè huic operi perficiendo conducere aduertit, Ergo sacramentorum

torum vsum vrgere, vitiorum extirpationi insistere, vtilissimam diuina meditandi mysteria rationem edocere; hominum mores ad magistram Ecclesiæ normam conformare, hæresum venenum patefacere, antidotum offerre, omnibus animorum morbis medicinam parare. Hæc viderunt vigilantes animarum Pastores, & religiosi piorum virorum Ordines; & ne ab ijs, quos antiquitate, amplitudine, alijsque nominibus superant, in cultu Diuino superarentur, non inuida æmulatione impulsi, sed sancta conspiratione excitati, Ecclesiæ Dei, Regno Poloniæ, animarum saluti, illustrissimam operam præstiterunt.

Sanè qui de Societate hoc sentiunt, non multum aberrant à scopo, quem in Bullato cofirmatæ Societatis diplomate attigit *Gregorius XIIII. Pontifex Max: qui Societatem nouissimis hisce temporibus Diuina prouidentia excitatam, adeò strenuè in Ecclesia Dei laborasse, & laborare asserit, vt eius turbationem & infirmitatem, ad commune Ecclesiæ damnum, eius integritatem & pacem, ad eiusdem Ecclesiæ vtilitatem maximè pertinere,* loquens ex sede affirmauit. *Pius autem Quintus Pontifex sanctissimus,* in quadam Apostolica Constitutione, *Societatem innumerabiles orbi Christiano fructus afferre, & non contentam terrarum finibus, ad Orientales & Occidentales Indias penetrasse, eosq; ad populos, qui penitùs Deum non nouerant, peruenisse, & inibi proprio sanguine verbum DEI plantasse,* Pontificali auctoritate declarauit. Quis non videt sanctissimos hosce Pontifices, plura ratione sua complexos, quàm nos oculis cernamus nostris? nimirum viderunt Societatem non solùm ipsam laborare; sed & alios vt laborent, verbo & exemplo excitare, vt meritò dixerit *Gregorius, eius detrimentum, in detrimentum Ecclesiæ redundare*; quia sicuti ipsa feruente, eius exemplo multi feruent: sic eadem languente, & illi quoque languerent. Pius autem, cùm fructus quos facit Societas, innumerabiles esse dicit, ad eos quidem, quos se ipsa Societas gignit, eam primò respexisse censeo; non tamen eos quos alij ab ea excitati, & vt paulò inferius dicemus, edocti producunt, exclusisse autumo. Illud autem consideratione dignum est, quod idem Pius ait, Societatem mundo veteri non contentam, nouos orbes inuestigasse, & nomen Dei ad illas natio-

Bul: Eccle: Cat: 1591

Bul. Innumerabiles: an: 1568. & Bul: Cum indefessa an: 1571.

nes, quæ Deum penitùs ignorabant, Apostolica auctoritate attulisse. Ea enim est Societatis nostræ vocatio, id institutũ, vt non latiùs salutis fines patere voluerit Christus, quàm ipsius, vt mundus saluetur, pateant vota. Nullus enim est in orbe terrarũ angulus, nulla natio tam longè à salute disiita, quam ipsa ad salutem non amplectatur, pro viribus opem ferat, & ea antiquas cœlorum, ob casum Luciferi, quasi ruinas instaurare non conetur. Hinc sæpè Christũ pro Christo relinquens, vti quæ huic operi perficiendo conducunt, auidè arripit: sic quæ retardare possunt, solicitè omittit.

Hinc originem suam illa ducunt, nostros sacras in choro preces non canere, supplicationibus non interesse, mortuos non sepelire, & alia id genus non pauca; quæ etsi sancta sunt, quia tamen, dum hominem illis officijs quasi affixum tenẽt, à libera salutis animarum procuratione non parum reuocare possunt; ideo nostri alijs ea relinquunt, & si quid in hoc genere negligunt, in alio abundè reponunt; videlicet in rudibus instruendis, confessionibus audiendis, peccatis extirpandis, virtutibus inserẽdis, concionibus habẽdis, infirmis, carceribus, hospitalibus visitandis, dissidentibus conciliandis, consilijs ad salutem spectantibus impertiendis, piis operibus promouendis, obsequijs viro religioso dignis, omnibus fideliter exhibendis. Hæ enim sunt merces nostræ, quæ ex nobis requirendæ sunt, & sine auro & argento, tum à nobis distribuendæ, tum ab alijs accipiendæ. Qui verò hæc omittunt, & alia à nobis requirunt, hi vel institutum nostrum ignorant, vel nostrorum opera abuti volunt; idcirco melius edocendi sunt, ne si interdum quæ petunt, quia nobis vel non licent, vel non congruunt, non obtinent, vel mirentur, vel irascantur, vel vitio vertant, vel etiam (quod absit) se contemni putent; sed excusationem admittant, & sibi persuadeant sanctè seruanda esse, quæ sanctè apud nos constituta fuerẽ; nec quicquam religioni magis obesse, quàm si religiosi, vt alijs satisfaciant, disciplinæ neruum relaxent, & non Christo,

sed ho-

sed hominibus placere studeat; sicuti nihil magis viro seculari obest, quã si non secundùm suũ, sed secundùm aliorum statũ, à sua cõditione alienũ, domum ordinare, familiam instruere, vitam viuere velit. Tunc autem nos reprehendant, quando nostri, quæ nostra sunt, non faciunt, nec secundùm vires, imò non supra vires, in salutem animarum incumbunt, & vel tempus, vel locum, vel personam, vel quicquam aliud excipiunt. Is enim est Societatis spiritus, vt *vbicunque fuerit cadauer, eò tanquam Aquilæ aduolemus*, id est, Christo mortuis animabus, vitæ remedia adferamus. Pro qua re ab omnibus humanis impedimentis liberi esse debemus, quod grauissimè nobis B. FVNDATOR noster commendauit, cùm in Instituti nostri formula, quam anno 1540. PAVLO III. & anno 1550. IVLIO item Tertio præsentauit, & vterque Pontifex probauit, & cõfirmauit. *Postquam*, inquit, *Domino inspirante, huic IESV Christi militiæ nomen dederint, die noctéq; succincti lumbos, & ad tam grandis debiti solutionem prompti esse debebunt.*

Sed ad propositam de fructu Societatis quæstionem, redeamus, illudque quod summi momenti est, ponderemus; nam sicuti Deus singulis Ordinibus peculiaria media, quibus populum suum iuuarent, tribuit: sic Societati modos eius vocationi consentaneos nõ denegauit. Vt igitur religiones solitudinis amantes, quales in Polonia sunt plurimæ, perpetuis orationibus & pœnitentijs Diuinam iram, hominũ peccatis irritatam, placant, & Deo, cum Moyse, ne mundum perdat, manus ligant: & sicuti illi Ordines, qui cõteplationi actionẽ iungunt, exẽplo vitæ, & sanctitate doctrinæ, populis cœlestẽ viam ostendunt, vt in splendidissimis *S. Dominici, & S. Francisci* Ordinibus fieri palam est; sic Societas in humano genere, ad finem æternæ gloriæ dirigendo, vtitur scholis, quibus non solùm iuuenes, vt aliquando sint boni Christianæ Reipublicæ ciues, instituit; sed vniuersalis morum ac vitæ reformationis semina iacit: quod planum fiet consideranti, fore vt aliquando virtus, quæ in tenero animo modò plantatur, adolescat, & suum possessorem bonum patremfamilias

conſtituat,qui domum totam timorem Domini doceat: Ecce fructus,vnum inſtituiſti,& familiam integram iuuiſti. Alter ex eadem diſciplina prodibit,qui ad pietatem informatus hæreditatis ſuæ partem Deum ipſum eſſe velit;hic vel animarum paſtor,vel paſtoris adiutor erit. Et ecce iam non vnam domum, ſed vnum populum,vnam ciuitatem, integram diœceſim adiutam habebis. Quæ cauſa fuit, cur optimè de vniuerſo Chriſtianorum Imperio meritus Gregorius XIII.tot alumnorum *Seminaria* in tot locis inſtituerit, eaque Societati non ad ſuum lucrum,vt calumniantur inuidi; ſed ad vtilitatem Eccleſiæ gubernanda tradiderit:hac enim ratione multas Eccleſias, multas nationes adiutum iri ſperauit, nec ſpes eum fefellit.Quot enim ex ſolis *Romanis Auſtriacisq; Pontificijs Seminarijs* Epiſcopi,Abbates,Præpoſiti,Parochi, aliique Prælati prodiere, qui ampliſsimum in Eccleſia Chriſti fructum protulere? Gregorium imitati, tum alibi,tum in *Polonia Præſules Illuſtriſsimi*,ſuarum Eccleſiarum Seminaria,noſtræ curæ committenda cenſuere.

Sed neq; deerit,qui ex eadem virtutis,& doctrinæ officina ornatus exeat, & debitas virtuti dignitates obtineat,publicumque totius Regni bonum,iuſtitia,integritate, ſapientia promoueat.Ex ramis quidē producitur fructus;radici tamen, qua ramus ſuccum haurit, ſua debetur in Republica laus. Taceo hîc alia quàm plurima. Satis eſt enim *theſaurum abſconditum* indicaſſe,*agrum centeſimum fructum procreantem* oſtendiſſe,*mercaturam,qua ſeruo fideli ad lucrum decem talentorum,decem ciuitates ſuperadduntur*, demonſtraſſe. Quod ſi quis hæc non capiens obmurmuret,illum parum moror;ſatis enim eſt ea à Gregorio XIII. fuiſſe percepta,qui Societatem *magno Dei beneficio,Eccleſiæq; ſpirituali emolumento,& ſacramentorum adminiſtrationem,& verbi Diuini prædicationem exercere:& quod caput eſt,iuuentutem tum in bonis moribus,tum in literis tam humanis quàm diuinis erudire*, bullato teſtimonio orbi vniuerſo teſtatum fecit.quem propterea teſtem appello, ne in ore proprio propria laus ſordeſcat,ſed à *Chriſti Vicario* prolata vim ſuam habeat;quanquam hîc non Societatem laudo,ſed ope-

Bul: Saluatoris an:1576.

ra Dei

ra Dei manifestare tento. Neq; enim decet *lucernam, quam vt luceret Deus ipse super candelabrum posuit*, à me, vel ab alio *abscondi sub modio*.

Campus hic se aperit amplissimus, sed habenæ sunt contrahendæ, ne mea videar venditare; itaque omnia silentio inuoluo, vnicum testimoniū profero illorū sapientissimorū virorum, qui nobis & liberos, quibus nihil carius habent, non magis litteris, quā moribus instituendos & animas, quas thesauris omnibus præferunt, viam salutis edocendas tradunt; qui nisi ex nostra institutione vtilitatem se percipere aduertissent, nunquam se ipsos, liberosq; suos nobis crederent, aut credidissent.

Sed neque id inficiantur ipsimet hæreticorum Magistri, atque Ministri, qui propterea se tantoperè Societatem persequi haud negant, quia ab ea hæreticorum Ecclesiam (si hoc nomine dignanda est, & non potiùs *errorum sentina* appellanda) vastari cernunt, & ex præteritis futura metientis, metuunt, ne, veluti ædificium supra arenam fundatum, tam diu solida Ecclesię doctrina à Societate quatiatur, vt tandem corruat, & sepulchrum sibi in suis ruinis constituat.

Hæc pauca de moribus & ministerijs Societatis attingenda censui; non quidem eo fine, vt vel nostros, vel Ordinem nostrum extollerem: noui enim *nos esse seruos inutiles, & vni Deo gloriam esse dandam*; sed illud propositum fuit ostendere nos secundùm institutum nostrum viuere, neque in Regno Poloniæ gratis fruges consumere. Nam si gloriam quæsiuissem, insipienter quidem, sed tamen alia methodo, alijs argumentis vsus fuissem. Iam verò ne virtutes tantùm in mea visitatione ad laudem videar quæsiuisse, vitia verò indulgenter dissimulasse, tertium propositionis caput aggredior, & quæ nobis à varijs obijci cōsueuerunt, diligenter perpendo.

QVAE-

QVAENAM OBIICIANTVR Societati.

Cap. IV.

DVplicis generis ea sunt,quæ Societati in Polonia obijci consueuerunt.Alia propria,& in hoc Regno nata: alia ex alijs Regnis ac Prouincijs huc deriuata. De vtrisque agendum erit.Primò quidem de primis, deinceps de secundis. Et quidem,vt omnia diligenter expenderem, nihilque imprudens omitterem,catalogum confeci eorum omnium, quorum nostros insimulari accepi, vt vnumquodque punctum in vnoquoque loco,cum vnaquaq; persona, quantum prudentia suasisset,examinarem. Quidquid autem reperi,id totum fideliter eo ordine quo processi,V. S. M. explicare constitui.Et ne quid etiam modò(quod ad rem nostram faciat) omittam,capita ad quæ cætera si quæ sunt,facilè reuocantur, enumerabo:& sunt huiusmodi.

1. *An Societas politicis se immisceat?*
2. *An de ijs Principibus consilia ingerat?*
3. *An ad dignitates promoueat?*
4. *An beneficia impetret?*
5. *An munera accipiat?*
6. *An Nobilium priuilegia infringat?*
7. *An malam doctrinam spargat?*
8. *An tumultus excitet?*
9. *An dissolutionem doceat?*
10. *An diuitijs abundet?*
11. *An alienis inhiet?*
12. *An Gedani,Toruneij,Rigæ,Derpati,Vilnæ, Posnaniæ,Lublini publicam pacem turbet?*

Et hæc quidem domestica sunt,illa verò externa,quæ ex

13. *Gallia, Venetijs, Transyluania, Vngaria, Boemia, Anglia afferuntur.*

Quæ omnia suscepi examinanda, vt ijs perpensis liquidè appareat, condemnandané sit Societas, an absolueda. Qua in re non multum quidem laborassem, nisi me vox *S. Augustini* excitasset, qui, *mihi*, inquit, *sufficit mea conscientia, vobis autem necessaria est, mea bona fama*. Cùm enim Societas nostra, tota circa salutem proximorum sit occupata, summo ad finem suum assequendum auxilio illam priuat, qui bonæ famæ præsidio eandem spoliat.

AN SOCIETAS POLITICIS SESE immisceat.

Cap. V.

A Politicis incipio, & an in ijs Societas sese immisceat, quæro: quia hoc est primum & grauissimum crimen, quod nobis soleat tribui. Hinc enim & Principum corruptelas, & Rerumpublicarum calamitates, & Regnorum perniciem, & Regum interitum oriri dicunt nostri aduersarij; vt autem hunc nodum dissoluam, pauca quædam breuissimè explicanda censeo. Et quidem in primis ne versemur in ambiguo, humanam politiam duplicem esse statuo: vnam bonam, alteram peruersam. Bona est, quæ legibus, lumine naturæ inuentis, inchoatur, Christiana verò luce consumatur. De hac scripserunt multi tam veteres Philosophi, quàm Christiani Theologi; eius fundamenta sunt, rectus in Deum cultus, & suum cuique tribuens iustitia. Hæc enim sunt illa duo magna luminaria, quæ in Reipublicæ cœlo, vt ad felicitatē prælucerent, à Deo sunt collocata; quæ si tollas, *quid sunt regna*, inquit Augustinus, *nisi magna latrocinia*? Ad hæc duo, tertius quasi huius publicæ viæ dux, accedit, *Prudentia, quæ*, vt ait Plato, *sola prait, & ducit ad rectè faciendum*. Altera politiæ species aduerso flumine nauigat; nam dum dominatum sibi vltimum finem præfigit, vt illo potiatur, velis omnibus atque remis contendit; & si fieri posset, Deum ipsum, vt cupiditati dominandi famuletur, impiè (vt ita

Lib. 4. de Ciuit: Dei, c. 4.

In Men.

loquar)

loquar)cogit.Huius Reipublicæ principia sunt, ficta religiò, libido dominandi, & astutia. Ciues verò, quos (vt vsus obtinuit)honesto vocabulo Politicos vocitamus; ij sunt, qui Deum ad speciem colunt, ius regnandi gratia violant, fidem fallunt; quos non solùm Christiani Doctores, sed ipsimet Ethnicorum Magistri, *Plato & Aristoteles* exploserunt: cùm & Deum colendum, & iustitiam fouendam, & fidem seruandam docuerunt. Hanc non Reipublicæ speciem, sed pestem omnibus interdictam, missam facio; siquidem & ij, qui illam instituerunt, damnari, & eorum libri, ne vllus eos legeret, igni ab Ecclesia sunt adiudicati. Aliam igitur speciem assumo, & hæc quero: *Malumne sit sese illi immiscere, quibus liceat, An Societas sese immisceat, quo modo, & an licitè?*

Atque vt hinc incipiamus, dici non potest malum esse, res politicas, & ad rationem status, vt vocant, spectantes, tractare; nisi velimus damnare omnes Principes, omnes Respublicas, omnes Magistratus, imò & Deum ipsum, omnis benè institutæ gubernationis auctorem; & hoc cum parte aduersa nobis conuenire arbitror; sicuti & in eo consentimus, ad hæc publica tractanda, non quoslibet esse institutos, sed eos, qui vel antiquissima Regni consuetudine, iusto quasi iure, ijs tractandis videntur nati, vel speciatim Principum voluntate accersiti; reliquos verò reprehensione dignos esse, si se immisceant non vocati: maximè si ij sint, quorum priuata viuendi ratio, publicis rationibus repugnet, quales sunt religiosi, qui si hæc attingunt, & sibi, & Reipublicæ iniuriam faciunt. Sibi, quia *manna deserti capis postponūt AEgypti*, id est, Diuina, quibus addicti sunt, ob humana derelinquunt: Reipublicæ verò, quia cùm hæc ignorent, facilè hæreant, & erroribus bonum publicum labefactant.

Illud iam in quæstionem venit, an Societas sese huiusmodi rebus immisceat, quo modo, & an licitè? Pro cuius rei intelligentia, notandum. Duobus modis posse aliquem sese politicis immiscere: vel in fundamentis Reipublicæ quasi iaciendis, quæ sunt (vt supra dictum est) iustitia, prudentia, & cultus Diui-

Diuinus: vel in ædificio (vt ita loquar) perficiendo, vt sunt munera publica, & publica Reipublicæ administratio. Si primum consideremus, concedo Societatem se miscere, & id optimo iure, optimoque modo præstare; quia perpetuò & Deum colendum prædicat, & iustitiam seruandam docet, & ingenuam iuuentutem ad doctrinam, quâ recta ad prudentiam itur, informat. Si verò secundum respiciamus, audeo affirmare, neminem res politicas magis; quàm nos auersari. Veritatem dico, & non mentior, vix in Societate crimen vllum admitti potest, quod tam grauiter puniatur, quàm si quis politica, & ad rationem status spectantia, tractet. Cùm enim religio nostra præuideret, multos fore Principes, qui nostrorum opera in confessionibus & concionibus vterentur, quibus haec obsequia, vtpote religiosa negare non possent; pericula etiam, suspiciones, & oblocutiones præuidit, & quantum licuit, seuerissimo quintæ Congregationis Generalis decreto præcauit, quod decretum, ne verba dare videar, hîc ad verbum discribo: *Vt ab omni specie mali abstineatur, & querelis etiam ex falsis suspicionibus prouenientibus, quoad fieri poterit, occurratur, præcipitur nostris omnibus, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna inhabilitatis ad quæuis officia, & dignitates, seu prælationes, vocisq́; tam actiuæ, quàm passiuæ priuationis, ne quispiam publicis & secularibus Principum negotijs, quæ ad rationem status, vt vocant, pertinent, vlla ratione se immiscere, nec etiam quantumuis per quoscunq; requisitus, aut rogatus, eiusmodi res politicas tractandi, curam suscipere audeat vel præsumat. &c.* Vellem hoc dicerent aduersarij, quænam natio, quisnam ordo, tam seuerè, sua sponte res politicas sibi vnquam interdixerit, sicut Societas fecit? si autē sponte interdixit, quare sese immiscere velit? At mūdus, inquiūt, clamat, & vos, huius criminis reos, appellat. Ego verò propter hunc clamorem, coniectura ducor ad suspicandum, multos clamare, qui nec nomen quæstionis intelligunt; sed fortè putant eos esse politicos, quibuscum agūt vel Principes; vel Rerūpublicarum Præsides; maximè si sint à confessionibus, vel concionibus; quin etiam à consilijs, non quidem ijs, quæ rationem status, sed salutem animæ respiciunt. Non enim politicus est religiosus, qui intra suæ conditionis limites, cum Principe,

Decretū quo politica Societati prohibitur.

vel Magistratu agit,& quæ ad fundamenta Reipublicæ, superius explicata,spectant, vel sponte suggerit,vel interrogatus exponit. Quis enim religiosum repræhendat, si Principem admoneat;vt Deum Regem regum,præ oculis habeat; iustitiam,Reipublicæ vinculum,colat;nihil temere agat; omnia suadente ratione,prudentia imperante,statuat; se oppressorum vindicem, pupillorum tutorem,viduarum patronum, agnoscat;non magis vt Dominus,quàm vt parens,regat;honesti in moribus regulam,rectam in actione normam teneat; memor sit illius pulchri dicti

Qui rectè faciet,non qui dominatur,erit Rex.

Auson. Quis,inquam, hæc quæ ad virtutem excitandam, pietatem augendam,munus rectè obeundum,faciunt, repræhendat?non enim hæc politica sunt,sed sancta, & religiosorum maximè propria,nec vlla ratione reprehendẽda,sed maximopere laudanda. At in illa vel ingerere se, vel oblata tractanda suscipere,puta,quomodo Princeps opes augeat, tributa imponat,fines propaget,arma sumat,sumpta deponat,populos regat,malos pœnis,bonos præmijs afficiat,fœdus faciat, factum rumpat,legationes instituat,quam denique Reipublicæ faciẽ seruet,quam immutet,quæ omnia,& id genus alia, quia politica sunt, & à viro religioso aliena nefas duco;idcirco qui vult,repræhendat,puniat, castiget, per me enim totum licet.Quod si in harum rerum deliberatione,Principis conscientiam lædi contingat,an non licebit religioso illum admonere?forte non deerit,qui neget;sed vellem diceret mihi, ad quem pertineat Principis conscientiam dirigere, si non ad Theologũ?maximè si interrogetur,& cõsiliarij errorem,vel nõ aduertant, vel certè contemnant. Præclarum exemplum posteris reliquit Christianissimus,idemque *Sanctissimus Galliarum Rex Ludouicus*, qui de re aliqua grauiore, quamuis bona & sancta,deliberaturus,ne error contingeret,Theologos in consilium aduocabat;quam consuetudinem magna laude,& maiori securitate, retinent multi Principes Christiani. Sed hic Principi leges non scribo, ad aduersarios redeo,qui nos de politia

politia accusant,& crimen commissum clamant. At si accusasse sufficit,si clamasse sit probasse,nos erimus rei; sed quis mortalium innocens erit, cùm nec Christo Iudæi pepercerint,& *crucifige,crucifige*, sacrilegis vocibus conclamârint? Vt igitur fides fiat, probatione opus est; alioqui si quod obijcias,verbo negetur,aduersarij longius progredi nequeũt, causâ cadunt.Et sanè,quis credat Societatem sui instituti obseruantem,rectiq; tenacem,vnquam permissuram,vt vllus in re tanti momenti, tanto sui detrimento,tanta aliorum offensione labatur:maximè cùm defectus eiusmodi in paucos cadere posit,quod non difficile esset corrigere.At hîc nostri, innocentia freti,non verentur ipsum accusatorem aggredi,& vrgere,vt dicat,sitne publicum,an secretum crimen, cuius eos insimulat: si publicum, dicat quis è nostris, vbi, quando, cum quo Principe, vel Senatu de Republica ordinanda, de pace firmanda,de bello administrando,de magistratu mutando,vel simili munere publico deprehensus sit disputare.Si secretũ:quomodo,de re ignota temerè audet disputare. Quod si rem sibi innotuisse dicat:iam pandat secretum, hominem indicet,negotium demonstret, testimonium proferat:alioqui si probationem nullam attulerit,iniquè se accusasse ipsemet comprobabit.

Sed ecce testimonia afferuntur.Nescio quis enim,non nomine, sed nocendi voluntate notus,testes quosdam ab inferis excitauit,eosq; in libellũ famosum coniectos, typis mãdauit;sicuti alio famoso libello fictas leges,nostris veris legibus oppositas,euulgauit.Sed nullam prorsus fidem facit:quis enim rerum Polonarum cognitione vel leuiter tinctus, existimet ea vnquam in mentem venisse,ijs quibus affinguntur? Et vt exemplo rem doceam,quis credat *Bernardum Macieiouium S.R.Ecclesiæ Cardinalem amplissimum,* ad Principem Venetum,vt somniat Anonymus, literas dedisse, quibus significaret,se pœnitere, quòd Societatis politicis rebus sese immiscentis,fautor fuisset? quis, inquam, hoc credat, cùm vir ille Illustrissimus, & de Societate nostra optimè semper meritus, vsque ad extremum nos amauerit; Confessarium è

noſtris perpetuo apud ſe habuerit? De voluntate ipſius erga nos, tum ipſe mihi teſtis, qui dudum in Italia, & non multò ante mortem in Polonia, cum illo familiariter egi, hominiſque ſenſus optimè noui. De Georgio verò, S. item Romanæ Eccleſiæ Cardinali, Radziuilio, Principe illuſtriſsimo, quid dicam? tantùm enim abeſt, vt alios à Societatis familiaritate, vt iſte fingit, auocaret, vt ipſe illi ad mortem vſque familiariſsimus fuerit; in eamque tanta ſemper beneficia contulerit, vt ijs, veluti ampliſsimis monumētis, iucundiſsimam ſui nominis memoriā apud nos cōſecrârit; & ipſo vltimo vitę momēto, quatuor è noſtris, per quorū manus ſpiritum Deo redderet, ſibi adeſſe voluerit; & ne mortuus ab ijs ſepararetur, quibuſcum viuus vixerat coniunctiſsimus, non alibi, quàm in noſtro Romano templo (Romæ enim mortuus eſt) ſepeliri voluerit. Dicat nunc Anonymus, Cardinalem Radziuilium familiaritatem cum Societate improbaſſe, & credetur ſcilicet illi.

Veſtra Sereniſsima Maieſtas conſideret, quàm vera teſtimonia producant aduerſarij, & crimine ab vno, diſcat reliqua: nec miretur nos ab ijs vexari, qui neque tantis viris pepercerunt, cùm falſitatis teſtes eſſe voluerunt. Quid? quòd vt nos pungerent, Gregorij XIII. Pont. Max: & tum de vniuerſa Chriſtiana Republica, tum maximè de Polona, optimè meriti, memoriam, probroſo maledicto lacerare non dubitarint? Si quærebantur vera, & certa de Societatis doctrina ac moribus teſtimonia, quid opus erat hæc fingere, & tantorum virorum nomen maculare? An non ad manus erant tot diplomata, quibus *Romani Pontifices*, & vniuerſalis Eccleſiæ Paſtores toties teſtantur, *Societatem in Eccleſia Dei, non in veteri ſolùm, ſed & in nouo orbe, non exiguos*, vt modeſtè loquar, *pro gloria Chriſti perferre labores, non paucos reddere fructus*? Sed nec deerant multæ *Auguſtiſsimorum Cæſarum aureæ*, vt vocant, *Bullæ*, quibus & ipſi, dum plura collegia fundarent, hoc idem ampliſsimis verbis teſtati ſunt, & ad Chriſtiano orbi, Lutherana tabe penè corruenti, ſubueniendum, nullum præſentius remedium ſe reperire potuiſſe aſ-

ſeruerunt

fecerunt, quàm si Societatem in Prouincias, hæresi infectas, euocarent; eique Christianam iuuentutem instituendam, quasi noua Christianæ Reipublicæ fundamenta reponendi, commendarent. Sed præstat ipsosmet Imperatores audire loquentes. Hæc igitur ad verbum habet Ferdinandus.

Ferdinandus Diuina fauente clementia, electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Rex Germaniæ, Hungariæ, Boemiæ, Dalmatiæ, Croaciæ, Sclauoniæ, &c. Infans Hispaniarum, Archidux Austriæ, Dux Burgurdiæ, & Marchio Morauiæ, & Comes Tiroli, &c.

Recognoscimus pro nobis, hæredibus nostris, & successoribus, Regibus, &c. Quòd cùm à multo tempore afflictißimorum Regnorum nostrorum, Germaniæ, Bohemiæ, Hungariæ, & Prouinciæ inprimis Austriæ statum, maximè quoad religionem nostram Catholicam, vsquequaque ferè retroactis annis expulsam, & profligatam diligentiùs perpendissemus, cumque eiusmodi esse reperissemus, vt nisi breui, de opportuno aliquo remedio illi dispexissemus, actum profectò de miseris ipsis reliquijs, prælibatæ nostræ religionis Catholicæ (præsertim inualescentibus tot tantisque de die in diem nouis hæresibus) intra breuißimum tempus cuique vel mediocri iudicio prædito, videri potuerit; sanè ea cura & cogitatione, nihil prius aut posterius habuimus, quàm vt huic malo efficacißimum antidotum inueniremus. Quandoquidem itaque de almæ Societatis Iesu insigni pietate, alijsque innumerabilibus virtutum meritis, nec non sedula & incomparabili eorum in instituenda iuuentute, tam moribus Christianis, quàm in bonis omnis generis litteris diligentia, in habendisque concionibus ad populum ipsum aßiduitate; multorum fide dignorum relatione, atque experimentis, exemplisque non modo Pragensis, Oenipontani, & Tyrnauiensis Collegiorum, quæ à nobis clementer sunt instituta, annis prioribus, sed multò amplius atque vberrius Cæsarei huius Collegij nostri Societatis eiusdem, quod multis ante annis hic Viennæ, easdem ob causas instituimus; edocti essemus: facilè induximus animum, vt quemadmodum eos, in hanc tam copiosam & luxuriantem messem, scriptis, de eo, tum ad summum Pontificem Romanum, felicis recordationis Paulum III. tum ad generalem Propositum eiusdem Societatis primum Institutorē M. Ignatiū de Loiola, bonæ memoriæ quàm gratiosißimis litteris, euocauimus. Quemadmodum verò illi, pro eorum in Rempublicā Christianam ardore, eiusmodi nostris postulatis minimè cunctanter annuerunt, hanc nostram Regiam ciuitatem Viennensem, nulla habita ratione tam longinqui itineris, nec non eorum discriminum, quæ tum eos, bellis vbique paßim flagrantibus, manebant,

quàm studiosissimè appulissent ; ita quoque nos nihil certè tam proprium officij nostri duximus, quàm vt illis confestim de honesta annua sustentatione, ac certo loco, vbi sese, pro eorum instituto exercere, ac gratiam illam, quæ illis diuinitus cō-cessa est, populis nostris ac fidelibus subditis communicare valerent, inprimis prouideremus. Quare nos pro Religionis zelo ad conseruandam & propagandam veram fidem Catholicam, ratione institutionis puerorum, educationis doctorum virorum, ac præcipuè Cleri, almæ Societatis Iesu moti, sequentem fundationem ac ordinationem fecimus, instituimus, &c. Datum Viennæ, Anno 1563. I. Octobris.

Vbique apud Reges ; & summos vtriusque status Princi-
pes infinitam horum testimoniorum copiam, reperire potu-
issent aduersarij ; quos si tædebat ea apud exteras nationes
quærere ; domi quàm plurima habebant omni exceptione
maiora. Non deerat Serenissimus Rex Stephanus, non de-
erat S.M.V, quorum vterque toties, tum in fundandis Colle-
gijs, tum in dandis Priuilegijs, testatus est, *hoc vnicum esse medium,*
rem Catholicam in Polonia promouendi, & corruptas hæresi mentes, ad sanitatē
reuocandi; recens est testimonium, quod nuper vidi in literis
quibusdam S.M.V. manu & sigillo munitis, quibus disertè te-
statur, *se vnicè hanc Societatem diligere, ob illustria ipsius in Ecclesiam Dei me-*
rita. Augustissimos Cæsares, Potentissimosque Reges imita-
ti sunt plurimi Illustrissimi & sapientissimi Præsules ac Ma-
gnates, qui vel Collegia fundarunt, vel fundata auxerunt ; de
quibus alius agendi locus erit. Vnum tacere nequeo, Sacri
Cardinalium Collegij decus, & singulare Regni Poloniæ or-
namentum, *Stanislaum Hosium*, qui ex illis, vt ita dicam, religi-
onis ac sanctitatis nundinis, *Tridenti* sua ætate celebratis, *Socie-*
tatem veluti margaritam , cœlesti mercatore dignam, in patriam suam
retulit, & *Brunsbergæ* fælicissimè collocauit. Sed nec præterire
debeo, toto, non dicam Regno, sed orbe celeberrimum *Nico-*
laum Christophorum, Ducem RadZiuilium, Sacri Romani Imperij Principem, &
Palatinum Vilnensem, qui ex sua illa nobili & longa peregrina-
tione, nihil preciosius, quod ex orbis quasi emporio, in pa-
triam referret, se reperisse affirmauit ; quàm vt aliorum Prin-
cipum exemplo, ipse quoque *Niesvviezij* Collegium Societati
fundaret, ex quo subditi sui gratis & absque precio, emerent

doctri-

doctrinam, bonos mores, & veram religionem. Claudet agmen alter pace belloque celeberrimus *Ioannes Carolus Chodkieuicius, Comes in Myss, Bykovv, & Sklouv, Samogitiæ & Derpatensis Capitaneus, supremus Exercituum Magni Ducatus Lithuaniæ Dux, & Generalis Liuoniæ Commissarius.* Qui cùm charissimam, suæque fidei & gubernationi commissam, *Samogitiæ* patriam, singulari aliquo atque perpetuo beneficio exornare cuperet; atque ex vna parte illud solùm, suapte quidem natura, frequētis Nobilitatis, bonorumque ingeniorum ferax videret, ex altera verò ingenuæ institutionis, liberalisque culturæ expers, aduerteret; cœpit cogitare, qua ratione huic incommodo prouideret; & populo ad pietatem propenso, viam ad cœlum sterneret. Quid verò statuerit, ipse de se declarat in Priuilegio fundati *Krosis* Collegij, vbi sic loquitur: *Nulla alia ratio melior apparuit, quàm quæ hodie à Christianissimis Principibus & Regibus, alijsq; Illustrissimis viris, tam Ecclesiasticis, quàm secularibus vsurpatur; nimirum per Venerabiles Societatis Iesu Patres, & Collegia; qui his nostris temporibus, vbique terrarum, tum in iuuentute bonis literis imbuenda, tum in hæresibus extirpandis, tum in deprauatis moribus corrigendis fructuosè desudant; quod nos ipsi, & in hoc Regno, & in alijs exteris nationibus, nostra cum consolatione vidimus, manibusq; propemodum palpauimus. Certò itaque persuasum habentes, rem hanc, & Dei ac Domini nostri gloriam plurimùm promoturam, & Reipublicæ longè vtilissimam futuram, & Equestri ordini, qui semper & nos, & maiores nostros magno amore & beneuolentia complexus est, placituram, constituimus, inuocato Diuino auxilio, è bonis nostris hæreditarijs, in Samogitia constitutis, prædictæ Societatis Iesu, Collegium in eodem Ducatu fundare, erigere, & dotare; prout præsentibus literis nostris fundamus, erigimus, dotamus in ciuitate Illustrissimi Domini Nicolai Christophori Radziuilij, Ducis in Niesvvież & Olyka, Palatini Vilnensis, &c. Krose dicta, quā tanquam in meditullio cōstitutam salubrem, & magis pro studijs, Nobiliumq; Adolescentum educatione commodam, deligimus.* Hæc ille, & multa alia in eodem fundationis Priuilegio, mense Augusto, proximè elapso, ab ipso confecto, & nobis tradito. Quàm autem sapienter hi de Societate iudicârint; sapientissimè ostendit, vir Illustrissimus, & æterna nobis memoria recolendus, *Hieronymus Gostomski Palatinus Posnaniensis*, quando ante paucos annos, in summa Reipublicæ perturbatione, coram S. R. M. V. & Senatu ac

Regno

Comitijs,quæ tunc habebantur, rumores hac de re percrebrescerent,humillimè à V.S.M.duo petij.Alterum, vt dignaretur significare,an reuera nostri Patres,illi maximè,quos apud se haberet,in huiusmodi res se ingererent, Vestræque S. R.M.molesti essent.Alterum,si ita esset,S. M. V. & sibi,& nobis consuleret,illosque in posterum non audiret; & sibi persuaderet,ad illa innumera beneficia,quibus Regia sua gratia, nos semper complexa est,maximum hoc facto cumulum accessurum.Adhæc V.S.M.R.clementer respondit:*falsum esse Patres in his,quæ politicum regimen spectant,se immiscere;falsum item esse,eos in his, vel illis promouendis se ingerere;imò si se ingererent,parum effecturos esse,V.S.M. suas rationes,& suos promouendi modos habere. Rumores istos ex solis suspicionibus,falsisq; coniecturis ortos,parui esse pendendos.*Profectò venit in mente dictū Henrici IV. Regis Christianissimi,qui cùm intelligeret in sua aula esse quosdā, qui & ipsum,& Regiam M.V. & alios Principes à Sacerdotibus regi temerè dicerent, respondit: *Sacerdotes non regere Reges,sed à Regibus regi*;id est, (vt ego interpretor) *Reges eorum operâ sicut decet vti,in rebus videlicet non ad politiam, sed ad conscientiam spectantibus.*Ad hæc quid dicturi sint aduersarij,non video;apud me tantùm pondus habet Regia auctoritas,vt licet non desint aliæ rationes,ab ijs tamen supersedeo,ne iniuriam faciam Regiæ Maiestati. Quis enim credat me adeò omnem pudorem exuisse,vt ad S.M.V.scribens, mendacia cōfingam,mendacijque testem per summum scelus R.M.adducam?Si autem ego vera narro,quis adeò impudens,vt de verbi Regij veritate audeat dubitare?in naturalibus,cum prima principia negantibus, negauit *Aristoteles* esse disputādum, quia illos rationis expertes esse iudicauit. In moralibus, cum fidem Regiam negantibus,quomodo agendum sit, definiant illi,qui ante omnia sinceritatem in ore Principum requirunt, nihil magis detestantur , quàm fraudem vel circumuentionem.

Res pulchra (inquit antiquus poëta) *lingua cui sit fides.* *Euripides.*

Vt autem ad id,quòd facilè obijci posset,respondeam,omnemque ex omnium animis scrupulum eximam; vt quis huiusmo-

iusmodi promotionibus sese ingerat, promouendosq́ue obtrudat, varijs modis pro varietate finis, fieri posse ostendo tum in hoc genere quid probem, vel improbem, declaro. Potest enim quis in aliquo, ad altiora promouendo, tria spectare: vel seipsum, vel Rempublicam, vel eum, quem cupit promotum. Seipsum respicit, qui alium prouehit, non quidem quòd dignum agnoscat, sed vt hominem habeat gratum, atque addictum; vt nouis amicis, nouisq; clientelis auctus, vires augeat suas in Republica; partes firmet; æmulis, si quos habet, excellat, aliudue simile commodum reportet.; qui si sui exaltationem propositam habeat, ambitiosus; si aliorum depressionem, factiosus; si præmium aliquod, auarus; si res nouas, seditiosus est censendus.

Rempublicā verò respicit ille, qui eum promouet, qui Reipublicæ benè seruire potest; quo ue Regnū eget, siue Duce in bello, siue Consule in pace, siue in quocunque alio publico munere adiutore.

Promotum denique seu promouendum respicit, qui eius in patriam merita intuetur, vtque in eius promotione iustitiæ, quam distributiuam vocant, fiat satis, efficere conatur. Iam sicuti illi primi, tanquam præposterè agentes, & priuatū commodum bono publico anteponētes, reprehēdendi sunt; sic secundi ac tertij, veluti patriæ studiosi, & æquitatis amantes, laudandi sunt, atque imitandi; quippe, qui propositam habent, vel bonam Reipublicæ gubernationē, vel debitam meritorum remunerationem. Præmia enim, quæ virtuti sunt proposita, in benè meritos sunt distribuēda; vt hac ratione excitetur multi, qui de Republica studeāt benè mereri. Vt enim nihil magis à peccandi licentia hominem abiectum deterret, quàm pœna, legibus decreta, & vsu confirmata: sic nihil virū ingenuum ad res magnas aggrediēdas, & forti animo perferendas ac peficiendas, æquè impellit, ac vtile atque honestum, honor, inquam, & prēmium. Quo in genere haud scio, an vlla Respublica sit, quæ Polonā adæquet, nedum superet; vt meritò nulla esse debeat, in qua magis vigeat virtutis exercitatio, & boni communis procuratio; quandoquidem nulla

est, quæ

eſt,quæ plura,vel maiora habeat præmia,virtuti diſtribuẽda.

His ita conſtitutis,quæritur; An noſtri in huiuſmodi promotiones,quæ vel patriæ bonum, & ciuium merita reſpiciunt,ſe ingerãt,& an rectè? Cui quæſtioni,vt ſatisfaciã,duobus modis hoc fieri poſſe præmitto. Primò, vt huiuſmodi negotia tractanda,& quaſi ad exitum perducenda, ſuſcipiant; & ideò, quas vocant, practicas faciant; cum alijs conſpirent, tempora,& occaſiones captent; importunas preces adhibeant; artificioſè animos circumueniant; politicis rationibus vtantur; & vt quod volunt, aſſequantur, nulli induſtriæ aut labori parcant. Secundò, vt apertè, candidè, ſine fuco, & abſq; vllius iniuria,eius qui de Republica benè meritus eſt, vel ei vtiliter ſeruire poteſt,ſupplicem libellum Principi offerant,vel etiam merita in mentem reuocent; vt Princeps monitus,ponderet,num is dignus ſit,quem ipſe promoueat;nec ob difficilẽ ad ſe acceſſum,debita remuneratione eum priuet.

Iam ad rem venio,& noſtros primo modo ſeſe huiuſmodi promotionibus immiſcere,nego; idem negãt noſtri,qui hæc alijs relinquunt,& religioſis ſuis occupationibus attendunt; & vt ſupra dixi,negat Rex Sereniſsimus; cuius negationem omnibus probationibus potiorem puto. Secundo autem modo, nec volo, nec debeo negare, aliqua interdum huiuſmodi officia eſſe facta; licet, quo euentu, nequeam affirmare. An enim noſtrorũ interceſsione,vlli quicquam, his ſaltẽ vltimis temporibus,quorum pleniorẽ notitiam habere potui,conceſſum ſit,penitùs ignoro; illud ſcio, nos ab huiuſmodi commendationibus abhorrere; eaſq; tanquam moleſtiſsimas,& nobis importunas declinare; ſed interdum adeò à nonnullis vrgemur,vt vix euadere poſsimus. Cur autem omnes generatim reijcere non iubeamur, illa eſt ratio: quia interdum aliqua ſunt,quæ vel pietatem,vel iuſtitiã, vel quid ſimile adnexum habent; hæc autem cùm honeſta ſint, & nulli obſint; quare ad gloriam Dei,Principis meritum, viri alicuius probi commodum, non debeant vel vnico verbo promoueri? maximè cùm accidere poſsit,vt vna vera,ſincera, &

 in vir-

in virtute fundata relatio, vel commendatio, à viro religioso profecta, plùs commodi in bonum commune conferat, quã vnquam, qui hæc fieri nollent, sint collaturi. Præclarum sanè exemplum in magno Propheta Elisæo habemus, qui gratus pro beneficio, à vidua accepto, illi operam suam offerebat. *Sedulè*, inquit, *in omnibus ministrasti nobis, quid vis, vt faciam tibi? nunquid habes negotium & ius, vt loquar Regi siue Principi militiæ.*

4. Reg. cap. 4. Hæc Elisæus; quem non refero, vt nostri discant suam operam alijs offerre, sed vt alij intelligant, huiusmodi charitatis officia, religiosis interdum non repugnare. Satis enim est S. R. M. institutum nostrum intelligere, suum autem retinere; nec ob nostras preces, vel commendationes, sua consilia, vel decreta immutare. Et quia in hanc materiam incidi, omnes monitos volo; nostras huiusmodi ad promotionem directas commendationes, si quando fiunt, parùm ponderis habere; & qui volunt ad optatum promotionis terminum feliciter peruenire, aliã viam terere debere. Illud addo, cùm nos simus religiosi, à Deo ad spiritualia tractanda vocati; non leuem iniuriam nostris ministris illos inferre, qui à nobis spiritualia non quærunt, sed in temporalibus atque caducis acquirendis, nostra opera vti, vel potiùs abuti volunt.

Quæ cùm ita sint, viderint quàm benè faciant aduersariorum nonnulli; qui, quasi Principes nostrorum operâ atq; cõsilio, omnia disponerent, hos negligerent, illos promoueret, contra nos clãmant; & à spiritualibus Regum obsequijs, amotos vellent. Qui certè consilium mutarent, si diligentiùs perpenderent, ætate nostra Principes fuisse, qui dum apud se habuerunt pios ac doctos religiosos, res eorũ publicæ floruerunt; cùm verò eos à se dimiserunt, omnia corruerunt; non quia religiosi politica tractarent, sed quia sanctis monitis, Principum conscientias, à peccatis liberas, ipsosque Principes legi Diuinæ obsequentes, tenerent; & cum sublatis Diuinis hisce præsidijs, liberior agendi ratio successit; mirum dictu, in quantas calamitates inciderunt. Qui Sacerdotes à Principis latere amotos velit, Reipublicæ plùs nocet, quàm credit.

credit. Vtinam Serenissimus Lusitaniæ Rex *Sebastianus*, in illa feruida ætate, Sacerdotem è nostra Societate, quo magistro & directore vsus fuerat, audiuisset; nunquam cùm vniuerso Regni flore, in illa funesta contra Mauros expeditione, interijsset. Alterius nomen ego taceo, exemplum profero; quem cùm plurimi, ab vno è nostris, in transuersum agi clamarent, vix amotus erat, cùm ijdem reclamare, vt restitueretur instare; sine ipso, Principem, quasi Angelo custode destitutum esse, V. S. M. pro sua in Deum pietate, & pro ea, quàm de nobis opinionem habet; è nostrorum numero, tam qui à confessionibus, quàm qui à concionibus sint, inuisis inuidis, penes se tenet; quos si dimitteret, ausim affirmare, fore, vt aliquando eos, qui hoc cupiunt, facti pœniteret, non quidem culpa V. S. M. qui sine nobis incœptum pietatis cursum, absoluere posset; sed ob multa alia, quæ nunc latent, tunc in lucem prodirent. Sed de his hactenus, reliqua hoc capite comprehensa expediamus.

Ad illud, quod de muneribus obijcitur, non est cur respondeamus; nam si promotiones non fiunt, nec munera sequuntur: sublata enim causa, tollitur effectus. Sed vt verum fatear, nimis sordidè de Societate sentiunt illi, qui nostros, hanc mercaturam, vendendi Regia beneficia, exercere existimant; ex se fortè alios metiuntur; sed nimis à veritate aberrant; nihil accipimus pro nostris ministerijs, accipiemus pro alienis beneficijs? Scio aliquos fuisse, qui cum nostrorum preces atque intercessiones apud S. R. M. precio se emere posse existimarent, non exiguam auri summam ijs obtulerunt; sed scio etiam, & sciunt ipsi, se hoc vel maximè nomine esse reiectos, & nec vel minimum verbum pro ijs esse factum; nam etsi, vt Christi pauperes, eleemosynas, puro Christi amore oblatas, admittimus, omnes tamen alios titulos excludimus.

Illud quod sæpè obseruaui, non possum præterire; me sæpiùs magnos viros audiuisse, qui se Societati magnis beneficijs deuinctos prædicarent; cùm autem beneficia enumerarent, doctrinam alij, alij religionem, mores alij, alij pietatem

nominabant; nullum hactenus reperi, qui vel Episcopatum, vel Abbatiam,vel Capitaneatum,vel Palatinatum,vel officium vllum,vllamuè dignitatem, nostris referret acceptam; quin potiùs intellexi,aliquos interdum ægerrimè tulisse,quia existimarentur nostrorum operâ dignitates assecuti; & iure; cùm ille veram laudem habeat,qui non aliorum fauore, sed proprijs meritis dignitates possideat.Sed neque quorundam error est prætereundus;qui cùm aliquem in Republica promoueri vident,qui nobiscum vel doctrinæ, vel pietatis causa coniunctis fuerit, illum à nobis promotum existimant; cùm reuera id non nobis,sed propriæ virtuti tribuendum sit: ad quã tamen virtutem perpolliendã, nonnihil laboris,interdum à nobis collatũ nõ diffitemur;qui hunc scopũ propositũ habemus,vt pro viribus Rempublicã,tum Christianã,tũ Polonã, ex omni parte beatam,reddamus.Quod tuncSapiẽtum oraculo erit,quãdo priuatim sanctè & innoxiè viuetur;publicè iustitia,virtutũ regina,imperio potietur; & fortissimo amoris & obseruantiæ vinculo,capiti mẽbra constringentur.

Ex his facilè est inferre, quàm parum fundata sit eorum querimonia,qui à nobis Nobilitatis iura,atq; priuilegia, violari dicunt;cùm enim in regni administratione, nullã partem habeamus, nihil nobis tribui potest, quod ad publicum regimen spectet. Nam quoad priuatas difficultates, quæ ob priuilegia nostra interdum suboriuntur; ad manum sunt remedia,sunt Iudicia,sunt Tribunalia, exercentur iura, vnicuique quod suum est, datur. Vt ergo nos aliorum iura violare,vel priuilegia infringere, non debemus: sic nec alij nostra; quæ vel à Pontificibus, vel à Principibus, legitimè, & sine aliorum iniuria, sunt concessa. Illud autem planè ridiculum est, quod afferunt aliqui; priuilegia quædam,pro salute animarum faciliùs procuranda,à summis Pontificibus nobis in foro conscientiæ concessa,disciplinam Ecclesiasticam labefactare;Episcoporum auctoritatem eneruare.Nullum adhuc Episcopum aut Prælatum audiui,hac de re conquerentem; cùm tamen multos viderim gaudere,quòd in sua ditione viros haberet, qui nõ solũ secu-

ta doctrina,ſed etiã ampla poteſtate,cõmodiùs poſſent morboſis eorum ouibus,ſpiritualem medicinam parare. Qua in re modeſti ſumus;quia cũ intelligamus,hæc priuilegia in ædificationem Eccleſiæ,non in deſtructionem eſſe data,non tam ſoliciti ſumus,vt multa impetremus, quàm vt impetratis in bonum quidem animarum,ſed abſq; Prælatorum offenſione vtamur.Non enim Societas noſtra, altare contra altare erigit;ſed Epiſcopos veneratur, ijs promptè obſequitur; non autem cum ijs,vel de iuriſdictione contendit, vel quicquam contra eorum dignitatem ſibi aſſumit.Non mentiar,ſi dixero,quibuſdam maioribus, nos non vti, niſi vel vbi non ſunt Epiſcopi,deſuntque Nuncij Apoſtolici; vel ſi non deſũt, adeò procul abſunt,vt ad eos difficillimus, & penè impoſsibilis ſit acceſſus.Parochi autem,vel ipſi quoq; deſint, vel certè neceſſaria,ſiue ſciẽtiæ,ſiue poteſtatis claue careãt;ſiue,quod ferè fit,vt illos iuuemus rogent;tunc enim noſtri,tanquam à ſede Apoſtolica,ad illas neceſsitates deſtinati;animas planè de ſalute deſperatas,ex inferni faucibus eripiunt, & Chriſto atq; Eccleſiæ reſtituunt. Quæ poteſtas, ſi vllibi in Europa,ſanè in hoc Regno vtilis, ac neceſſaria eſt;maximè in illis partibus,quas Capite tertio enumerauimus.

DE DOCTRINA, TVMVLTIBVS, ET DISSOLVTIONE *Studioſorum.* Caput VII.

ANtequam rem aggrediar, diuido; & cur cum doctrina tumultus & diſſolutiones iũgã,aperio.Doctrina (quod ad propoſitũ facit)duplex eſt:vna ad fidem ſpectat, altera ad mores.De prima haud ſcio,an poſsit eſſe cõtrouerſia; niſi cũ illis,à quibus in religione diſsẽtimus,qui quicquid in hoc genere obijciũt,id totũ vniuerſo ordini Eccleſiaſtico;Eccleſiæ Romanę,& ipſi ſũmo Chriſti vicario,à quo nos ne latũ quidẽ vnguẽ diſcedimus,inurũt.Ad alterã,de moribus,partẽ venio, & ei tumultus & diſſolutiones adiungo; quia cũ doctrina actionẽ ſpectet,qualis eſt vna,talis & altera ſit,neceſſe eſt. Nos in Scholis docemus,atq; Templis.De Scholis audiui ſemel in Germania,nec illiteratũ,nec infimæ conditionis virũ,qui cũ acerbè in eas inueheretur,eaſque tanquam boni communis

amator;

amator,quod nævis (vt ipse dicebat) non carerent, euerſas optaret;fateri tamen vrgebatur, in orbe Chriſtiano,nullam inſtitutionem noſtrâ meliorem reperiri;niſi quam fortè ex ſuo ipſe cerebro exprimere cogitabat. Magnus certè boni communis amator,qui quod optimum in hoc genere iudicabat,ob nævos aliquos,funditùs euerſum cupiebat.Vtinam apud nos non plures haberet imitatores.Non ſum ego tam impudens,nec imprudens, vt noſtras Scholas,omnibus alijs præferre,vel etiā conferre velim;ſat mihi eſt,teſtimonium tot prudentū doctorumq; virorū,qui ſucceſsiuè à quinquaginta annis,vel ipſi ſcholas noſtras frequentârunt;vel vt eorum filij frequentarent,effecerunt;qui ſi nos alijs non anteponunt,nō tamen inutiles cenſent.An autem in omni genere honeſtatis & virtutis exerceantur,illos ipſos teſtes appello, qui multorum millium numero, apud nos in hoc Regno ſtudueruntz & in præſenti, octo circiter vel decem millia ſtudent. Qua etiam de re amplum, vt ſpero, teſtimonium non inuiti dabunt,plures *ſacri religioſorum Ordines*:qui,quot,& quales, à noſtra ſcholaſtica diſciplina, ad eorum obſeruantiam tranſeant, optimè norunt. Sed neque teſtimonium hoc mihi negabunt,multi à nobis religione alieni;qui cùm apud ſuos collapſam iuuentutis inſtitutionem videant, filios ſuos nobis committunt erudiendos. Et hanc non vltimam cauſam eſſe arbitror,cur aliquæ ciuitates nobis ſint infenſæ:quia timent,ne minus lumen obſcuretur à maiore;nos autem contra nitimur,vt tenebræ diſsipentur à Sole iuſtitiæ.

Numerus studioſorum, Colleg: S. I. in Regno hoc frequentantium.

A Scholis ad Templū tranſeo;vbi arguuntur noſtri, quòd interdū pro concione ſint nimis, vel in reprehēdendo acres, vel in ijs tractandis,quæ ad eos non ſpectant,audaces.At laudant alij,qui cùm multos viæ ſalutis ignaros, & in malo obduratos videant, magnum in Concionatoribus zelum requirunt.Verè, ſemper difficile fuit,publicè ad multos verba facere,& neminem lædere;difficillimum autem Chriſtianum Oratorem reperire, qui neminem offenderet, omnibus ſatisfaceret.Haud ſcio,an in Eccleſia Dei fuerit maior Apo-

ſtolo

ſtolo Paulo; & tamen à ſuis quomodo tractatus fuit? & vt Christus ipſe lapides euaderet, an non miraculo opus fuerat? facilè eſt verbo labi, maximè apud eos, apud quos vſus obtinuit, vt quæ ab alijs prolata nihil lædunt, ſi proferantur à nobis, vel maximè animos ſaucient. Prudens ille fuit, qui *præiudicium, omne iudicium* tollere dixit. Hoc Societatem non fugit, & ideo ſi vlla religio, concionatores, ipſa, ſuos inſtruit; graues leges illis imponit, & vt ſcopulos vitent, monet, in ijs multa requirit, doctrinam cum ſobrietate, feruorem cum diſcretione, humilitatem cum fortitudine, charitatem cum prudentia; illudque agit, vt hoc verbi miniſterium, quod in Eccleſia Dei eſt ſummum, & ſummè neceſſarium, tractetur cum omni ſanctitate. Quod ſi quando quis labatur, quare id toti Ordini tribuatur? præſertim ſi (quod ſæpè euenit) non tam læſit concionator, quã læſus eſt auditor. Hîc enim locũ habet illud vulgatum: *quicquid recipitur, per modum recipientis recipitur.* Rem exemplo declaro. Cõcionator in pauperum oppreſſores inuehitur: quia multæ pauperum querimonię audiuntur: præſens eſt neſcio quis, qui in hoc genere minùs benè audit; hic dum rem in bonam partem accipere, ad cor redire, peccatum expiare, oppreſſo ſatisfacere deberet; potiùs è contra: admonitionem in deteriorem partem accipit, publicè ſe reprehenſum clamat, concionatoris nomen vbique in inuidiã vocat. Alterum addo exemplum. Iniuſtitiam ſibi factam, infiniti conqueruntur; Iuſtitiam commendat concionator, Magiſtratus officij monet, omnes, vt ſuo ſint contenti, alieno abſtineant, hortatur; Statim fit clamor, Iudices notari, Magiſtratus vituperari, cõciones deſeri, vindictam minitari. Quid hîc faciendum? ſi concionator inſtat, quos adiutos vellet, lædit; ſi tacet, ſcelera creſcunt. Eſt modus in rebus, opus eſt prudentiã; ſi exceſſus eſt, tollatur; moderatio adhibeatur; Principibus, Magnatibus; perſonis publicis, magna ſemper reuerentia exhibeatur; & oretur Deus, vt vnctione Spiritus ſui, & concionatores fructuoſè loqui, & auditores vtiliter audire, doceat.

Quod si forte in re lubrica quempiam labi contingat, toti Ordini lapsus nequaquam adscribatur; nec qui ab vno Societatis homine offenditur, vniuersæ Societati irascatur; non enim rationi consonum est, pro vno nocente innocentes multos condemnare: at prudentis est, optimam illam mentem induere, quam *Serenissimus Archidux Ferdinandus* se induisse declarauit; cùm Societatis hominibus se irasci posse, Societati irasci non posse, pronunciauit. aureum dictum, & tanto Principe dignum; quod autem ipse verbo protulit, re ipsa aliquando præstitit alter Princeps *Illustrissimus, & S.R.E. Cardinalis amplissimus Franciscus, à Dietrichstein, Olomucensis Episcopus*, qui cùm nescio quo casu à quodā offensus fuisset; tantùm abfuit, vt Societati irasceretur; vt potius in eius gratiam omnis offensæ memoriam obliterârit; & ex indignatione, eius erga nos amor (quod amātibus, vt ipse dicebat, accidere solet) maiora incrementa sumpserit; & grauiora, quàm antea de Societate, cuius integritatem optimè nouit, amplificanda agitare cœperit; à maledicis defenderit; eius patrocinium, quoties opus fuit, suscepérit; in *Morauia* illæsam conseruârit; & Episcopale Olomucense Collegium ab eius antecessoribus fundatum, magno annuo vectigali, ipsis hisce diebus auxerit.

Dictum memorabile Archiducis Ferdinandi.

Porrò, vt hoc caput concludamus, tunc aduersarij contra Societatem aliquid efficient; quando, ex tot, tamque diuersis hominum generibus, qui nostra vel templa, vel gymnasia frequentant, vnum reperient; qui se apud nos, vel doctrinam perniciosam hausisse; vel mores, homine Christiano indignos, didicisse; vel ad tumultus & seditiones incitatum fuisse, audeat profiteri. Spero enim fore, vt nō magis in Polonia huiusmodi homo reperiatur, quàm in Gallijs *Henricus Quartus*, octo vel nouem annorum spatio, dum de restituenda Societate deliberaret, ipsomet teste, potuerit reperire Sed tempus monet, vt à moribus ad rem familiarem transeamus.

AN SOCIETAS ABVNDET DIVITIIS, ALIENIS-ué inhiet.

Cap. VIII.

NON desunt, Rex Serenissime, qui nos vel ditissimos credant; vel, quod potiùs crediderim, vt inuidiam concilient, verbo tenus id prædicent. O prisca pietas, quantùm inter nostra, & vetusta secula discrimen. cogor hac de re differe, vt ostendam, quàm immeritò nota cupiditatis & auaritię, nostro Ordini inuratur; alioqui satis esset dicere, qui odit opera pia benè fundata, esse impium; qui bonis inuidet, esse auarum. Vt igitur hinc incipiam, ausim affirmare, in Polonia fuisse Abbatias, & Monasteria, quorum redditus, adæquârint redditus vnius integræ nostræ Prouinciæ. Ausim & dicere, nullum Monasterium ex antiquis, tam tenuiter fuisse fundatum, quin superaret nostram maximam fundationem. Esto enim alicubi habeamus bona, ad speciem ampla, re ipsa tamē sunt exigua. Rationes omnes vidi; statum perpendi; Collegia omnia inchoata, vix vlla, ac ne vix quidem perfecta; omnia ære alieno obstricta. Nullum est Collegium, quod detractis sumptibus, qui ordinariè & necessariò fiunt, in cultu templi, in bibliotheca, in viaticis, in bonis defendendis, sartis tectis conseruandis, & alijs similibus; sexaginta personas alere possit, si pro singulis 60. annui floreni assignentur; pauca triginta alere possunt; vix viginti nónnulla; ac ne vix reliqua; ita vt non raro oporteat nos iuuari, magno illo parsimoniæ, paupertatis, patientiæ, vectigali. Et hæc de Prouincia Poloniæ. Nam de Lithuania non loquor, ne, quæ de ea verissimè dicēda essent, hyperbolicè dicta videantur; incredibile enim est, quàm miserè his annis, possessiones nostræ fuerint, tum ab hostili rabie vastatæ, tum à militari licentia denudatæ.

Porro, etsi magnæ sunt rei familiaris angustiæ; non tamen bonis inhiamus alienis: nam si quæ in sæculo propria habuimus, ob amorem paupertatis sponte reliquimus; & quæ poterat So-

rat Societas iustè accipere, vltro reiecit; quis credat illam iniquè inhiare alienis? quis vnquam gloriari poterit se nobis pro scholis, pro sacris, pro concionibus, pro confessionibus, vel teruncium dedisse? quod tamen sicuti ab alijs, sic à nobis non illicitè fieri potuit. Si ergo ab ijs abstinemus, quæ alioqui licita sunt, ob solam constitutionum nostrarum reuerentiam, quæ gratis dare, quæ gratis accepimus, iubent; & ne vel minimum quid pro nostris ministerijs accipiamus, prohibent; quàm difficile erit probare, nos ob pecunias, vel simplices decipere, vel diuites circumuenire? qui hæc credunt, vt alibi attigi, nimis abiectè de nostra Societate sentiunt; sed nunquam probabunt, nostros Patres ita sordidè auro adhærere, qui pro Christi honore, proprij sanguinis facti sunt prodigi; vt in quadam Constitutione testatus est Pius V. Pont: Max: & perpetuò testatur, tanta, tamque continua *in Indijs, Iaponijs, Anglijs, Transyluanijs, ipsisq; Polonis*, sanguinis nostri pro religione facta profusio. Mihi sum ego conscius, hoc anno non semel mandasse, ne acciperentur eleēmosynæ, quæ aliquam, vel laborum, vel ministeriorum nostrorum compensationis speciem habere posse videbantur. Et semel cuidam magno viro remitti curaui, non contemnendam aureorum summam; quam ideo ipsum misisse suspicabar, quia ferijs Paschalibus, proximè elapsis, aliqui è nostris Sacerdotibus, in ipsius villis atque arcibus obierant missionem; neque illius restitutionis alius fuit scopus; quàm conseruatio puritatis instituti; alioqui enim, ab illo viro aliud nihil à nobis poterat expectari.

Bul: cùm indefessè An: D. 1571.

Vt igitur eleemosynas accipiamus, duo requiruntur. Primò, ex parte nostra, vt sit necessitas. secundò, ex parte dantis, vt non vllius ministerij intuitu: sed ex solo Dei amore eleemosynam tribuat. Vt autem intelligatur nos, non solùm non esse, sed nec diuites esse posse; aliquid dicam in gratiam eorũ, qui tam curiosè nostra scrutantur; vt etiã quid in secretissimo Sacramẽtalis pœnitẽtiæ tribunali fiat, velint expiscari.

Triplicis igitur sunt generis nostra Domicilia: *Domus professa, Do-*

sa,Domus Probationis,& Collegia. Residentias omitto, quæ vel inchoata sunt domicilia, vel ab ijs pendent, tanquam à capite mẽbra. Domus Professę, qualis est *Cracouiæ, Vilnæ, & Varsouiæ*; adeò paupertatis amantes sunt, atq; tenaces, vt nullos prorsus redditus certos habere possint; ex puris eleemosynis viuunt, nõ quidẽ pro ministeriis datis; sed pro amore Christi quæsitis, vel oblatis, & victu ac vestitu cõtẽtæ, dignã religiosã paupertate, vitam degunt; nec vnquam à solita modestiæ, & parsimoniæ regula, vel tantillum declinant, esto sexcentas haberent declinandi commoditates. Quis ergo arte, vel fraude diuitias velit congregare omninò superfluas? quæ neque ad redditus, qui non permittuntur, comparandos valent: neque ad commoditates, quæ prohibentur, acquirendas, vsum habent. *Domus Professæ Societ: nullos redditus habere possunt.*

Collegia verò, vtpote studiorũ seminaria, certos redditus habere possunt, & debent; & si nõ sint sufficiẽter fundata, eleemosynis se etiam iuuare possunt. At si fundatio sufficiat, pro sustentandis ijs, qui secundùm institutum, pro ratione cuiusque Collegij, sunt necessarij, non amplius vti possunt eleemosynis; quod fideliter seruatur, vbi Collegia liberaliore manu sunt fundata; qualia vel nulla, vel vix vlla sunt in Polonia; & si quando erunt, illicò eleemosynæ cessabunt.

Restant Domus Probationis, quæ paucissimæ sunt, singulæ ferè in singulis Prouincijs; quæ etsi præter redditus, etiam eleemosynis frui possint: tamen cùm eorum ministeria sint priuata, & domesticis parietibus circumscepta, non gaudent multis eleemosynarum præsidijs. Et licet *Nouitÿ* ad virtutem, tum probandã, tum exercendam, soliti sint emẽdicare: tamen & exiguas eleemosynas colligunt, & eas cum hospitalibus, & carceribus communicare consueuerunt.

Ex his colligitur, primò, nos neque diuites esse, neque diuitias possidere posse: quia nunquam vltra necessitatem quidquam possumus habere. Colligitur secundò, nullum periculum esse, vt propter eleemosynas, artibus nostris, vt aiunt, quæsitas; vel Familiæ exhauriantur, vel Respublica eneruetur; quia

tur; quia nos nihil vnquã vltra necessitatẽ, frequẽter infra necessitatẽ habemus. Quòd ex eo maximè patet, quia vix vsibi ædificia habemus, in quibus iuxta statũ religiosũ, deceret habitemus; & *Collegiũ Posnaniẽse*, quod in hac Prouincia Poloniæ est supremũ, ita quoad ædificia est constitutũ; vt cũ sexaginta ex nostris alat, plusquã media pars sub tegulis habitat, in quibusdã tuguriolis, muribus magis, quàm hominibus accõmodatis. Et cùm perpetuò de ædificando cogitemus; nunquam manum ad opus admoueamus: quia nihil vnquam ex necessario victu superest, quod fabricæ commodare possimus. De altero autem præcipuo *Lithuaniæ Vilnensi* Collegio, illud affirmare possum; cùm proximo, communi ciuitatis incendio, conflagrasset, & ruinas instaurandi modus non suppeteret; nostros adeò incommodè habitasse, vt hyeme præterita viderim, aliquos neque locum, vbi à niuium ventorumque iniuria se tuerentur, habuisse. Quare ne fratres meos, Dei seruos, viderer negligere, mandandum fuit; vt præter aliud æs, alienum contractum, aliquot talerorum millia, ad censum acciperentur. Non arte igitur, aut fraude, aliorum pecunias quærimus; sed Christi imitatione, & paupertatis amore, præsentis vitæ necessitates tolleramus.

Sed velim dicant mihi, diligentissimi hi, rerum nostrarum obseruatores; quis è nostris, paucis hisce mensibus, his vltimis diebus, *Illustrissimum Adamum Novvodvvorski nominatum Episcopum Camenecensem*, circumuenit; vt nobis neque cogitantibus *Lomzæ* Collegium tam liberaliter fundaret; vt in eam fundationem, patrimonij partem, quam sibi reseruârat, conferre non dubitaret? Quis *Illustrissimum Nicolaum de Pacz. Samogitiæ Episcopum*, induxerit; vt pro Societate in sua Ecclesia fundanda, prædia, pecuniam, bibliothecam, ac supellectilem offerret? Quis *Illustrissimum vtriusque Ducatus, magni Lithuaniæ & Samogitiæ Generalem Capitaneum, Ioannem Carolum Chodkieuicium* deceperit, vt nobis Collegium *Krosis* liberalissimè collocaret? Quis alios, non minùs appellatione, quàm pietate magnificos, vt vtrique operi *Lomzensi & Krosensi* manus adiutrices apponerent, impule-

Lomzæ Coll. S. I.

Krosis in Samogitia Coll. leg. S. I.

impulerit? Quis *Magnificum vvolucki*, vt *Raua* nobis tantum non inuitis, Residentiam, futuri Collegij prænunciam, instrueret, persuaserit? Quis alterum *Magnificum Bal* incitauerit, vt tam piè, tam constanter, tam enixè per literas, per amicos, per se ipsum me rogaret; vt pro alterius Collegij *Krosnæ* instituendi felici initio, non pauca aureorum millia, inscribere sibi liceret? Velim, inquam, vt quibus artibus, qua fraude, quo dolo, quibus, vt ita dicam, cantionibus, tanta, à tantis viris, tam breui tempore, extorserimus; oblocutores nostri palàm faciant. Nam esto pauperes simus, & cùm necessitas vrget, emendicare non erubescamus; tamen frequenter accidit, vt in eleemosynis potiùs præueniamur, quàm præueniamus; & benefactores sæpiùs nos rogent, vt accipiamus, quàm vt nos illis, vt tribuant, suadeamus. Qui mos ex modestia natus, cum Societate ab ipsis incunabulis creuit. Vnde cùm *Ferdinandus Imperator*, Collegia *in Austria*, *Bohemia*, *& Tyroli* fundaret, animoque Austriaco, id est, excelso, multa, quæ Patres recusabant, offerret; eum dixisse ferunt: *Acceptate, non semper Ferdinandum habebitis.* At inquiunt illi: nunquam deerit, qui succurrat necessitati. Vti re ipsa ante in *Tyroli* fecit *Serenissimus Archidux Ferdinandus*, & in *Bohemia* modò fieri intelleximus; *Ferdinandei* enim tum Imperij, tum animi hæres *Matthias Augustissimus*, tenuitatem Pragensis Collegij aduertens, illam in duplum Imperiali munificentia augere molitur.

Raua residentia S.I. Krosnæ residēti Soc.

Ferdinādi Imperatoris affectus erga Soc.

Ne longum faciam, multa mitto; tantum addo: Si Societas terrenis inhiaret bonis; quantas diuitias ex illis solis Polonis, qui illi nomen dederūt, congregare posset? nam quàm facilè esset illis persuadere, vt Societati suas hæreditates darēt? & tamen videmus, quàm pauci, in tanta multitudine, & quàm parum, in tanta Nobilitate, consueuerint in Societatem conferre; hoc sanè possum affirmare, me (nisi mea me fallat memoria) in visitandis nostris bonis stabilibus, nec vnū rusticellū, ne dicā pagum, reperisse, qui ab vllo è nostris nobis

sit da-

fit datus. Addo, cùm facile poteſtas illis fiat, de rebus ſuis, cum alijs ad libitum diſponendi, ſi Societati aliquid dare velint, requiritur peculiaris facultas *Generalis Præpoſiti*; quod ſancitum eſt, tum ad vitandam auaritiæ ſuſpicionem, tum ad cautelam, ne ſordidâ hac cupiditatis labe commacularenter noſtri.

De hac materia me pluſquam ſatis diſſeruiſſe arbitrabar; ſed ne hîc finiam, facit quidam Anonymus; qui, cùm patrocinium veritatis ſe ſuſcepiſſe profiteatur, famoſum libellum ſolis fabulis atque mendacijs repleuit; quibus nos alienis bonis inhiare, religioſorum monaſteria occupaſſe deſcribit. Et quidem, quod ſpectat ad præſens propoſitum, fabula eſt illa narratio de *S. Paulo* extra vrbem; ſicuti fabulæ ſunt aliæ non diſſimiles eius narrationes; & ne omnia perſequar, illud tãtùm innuo; bonum illum virum, illa ab antiquioribus impoſtoribus accepiſſe; qui pridem tũ à *Iacobo Gretſero*, tum ab alijs abunde confutati fuêre. Videtur frater Germanus, cuiuſdam alterius Anonymi, qui ante aliquot annos in Gallijs libellum ſcripſit; in quo de Monaſterijs, à Societate occupatis, multa dicebat; inter alia ex toto Regno Bohemiæ *Carthuſianos* à nobis fuiſſe excluſos, & occupata Monaſteria.

An Ieſuitæ Carthuſianos è Bohemia excluſerint.

Cùm igitur tunc eſſem in *Bohemia*, non tam à noſtris, quàm *Illuſtriſſimo, & omni doctrinæ & virtutis genere ornatiſſimo viro Marco Velſero Duumuiro Auguſtano* rogatus fui; Vt purgandæ Societatis gratia, veram informationem darem, & certa teſtimonia mitterem; quod & feci. Ex Cronicis enim Bohemicis, & alijs certis Cancellariæ Regni documentis, reperi; *Carthuſianos* ducentis fortè ante annis ex Bohemia exceſſiſſe, quàm Societas noſtra, vel mundo nata, vel in Bohemiam veniſſet. Vt non illepidè quidam dixerit, verendum eſſe, ne aliquando accuſemur, quòd primis parentibus offendiculo fuerimus in paradiſo terreſtri; ne dicam Angelis, in cœleſti, quandoquidem & aliorum facta, & integris ſæculis ante nos patrata, tam confidenter nobis tribuuntur. In quo genere excellit noſter Anonymus, qui multa aliena, plurima falſa, per fas & nefas, nobis, vt alibi dicemus, ſupponit. Ex illo igitur malo auctore, hunc peiorem ac-

rem accepisse puto illa viginti quinq; *Premonstratensium Monasteria in Belgio*; cum illis triginta millibus librarum pensionis annuæ; sicuti illa alia quinquaginta millia coronatorum annuæ pensionis,cum suis Præposituris in Gallijs, & alia alibi Monasteria. Nam si ab illo, vel alio simili mendacij auctore, non accepit, ipse finxit; sanè apud nos ea non reperit, & tamen tam audacter illa affirmat, ac si Euangelium recitaret. Nam etsi non nego Societatem aliqua Monasteria, à suis religiosis deserta, & à summis Pontificibus, alijsque Principibus,legitimum ius habentibus, nobis tradita, possidere, vti videre est *Rigæ*, atque *Brunsbergæ*; nego tamen vllos vnquam religiosos vi, vel fraude, ex suis Monasterijs à nobis esse eiectos. hoc enim procul abest à Catholicis, proprijssimum est hæreticis,qui cùm nulla vnquam ædificârint Monasteria; possident tamen innumera, vi & fraude, in *Germania*, *Anglia*, *Scotia*, *Gallia*, *Hibernia*, occupata, & sacrilegè direpta, atque profanata.

Quod si quis esset,qui id,verumne sit experiri vellet, non illum ego in regiones tam longinquas mitterem; satis esset, si nonnihil per *Prussiam*, *Pomeraniam*; *Curlandiam*, *Liuoniam*, animi gratia spatiaretur,& *Torunium*, *Elbingam*, *Gedanum*, *Regiomontum*, *Rigam*,aliasque ciuitates ingrederetur; statim quod quærimus, obuiam haberet. Tot enim Monasteria, tot Ecclesias, tam Parochiales, quàm etiam Cathedrales, olim à Catholicis ædificatas, nunc ab Euangelicis occupatas, reperiret; vt non mali Arithmetici laudem mereatur, si quis illas certo numero comprehendere possit. Illud verò maximè mirum videri potest, cur tantoperè Anonymus nos insectetur; quia trium vel quatuor Parochialium Ecclesiarum, penes nos sit ius patronatus, nobis à Regibus legitimo iure, absq; vllius iniuria, collatus; cùm maximè hæretici infinitas vi, & iniquè occupent Ecclesias. Hæc mihi hoc consideranti in mentem causæ venêre: Primùm, quia rumpitur inuidia; deinde,quia desperat,quod in manibus nostris est, posse amplius ab hæreticis rapi. Demum, quia videt in huiusmodi Ec-

Quod si fortè in re lubrica quempiam labi contingat, toti Ordini lapsus nequaquam adscribatur; nec qui ab vno Societatis homine offenditur, vniuersæ Societati irascatur; non enim rationi consonum est, pro vno nocente innocentes multos condemnare: at prudentis est, optimam illam mentem induere, quam *Serenissimus Archidux Ferdinandus* se induisse declarauit; cùm Societatis hominibus se irasci posse, Societati irasci non posse, pronunciauit. aureum dictum, & tanto Principe dignum; quod autem ipse verbo protulit, re ipsa aliquando præstitit alter Princeps *Illustrissimus, & S.R.E. Cardinalis amplissimus Franciscus, à Dietrichstein, Olomucensis Episcopus*, qui cùm nescio quo casu à quodã offensus fuisset; tantùm abfuit, vt Societati irascetur; vt potius in eius gratiam omnis offensæ memoriam obliterârit; & ex indignatione, eius erga nos amor (quod amãtibus, vt ipse dicebat, accidere solet) maiora incrementa sumpserit; & grauiora, quàm antea de Societate, cuius integritatem optimè nouit, amplificanda agitare cœperit; à maledicis defenderit; eius patrocinium, quoties opus fuit, suscepérit; in *Morauia* illæsam conseruârit; & Episcopale Olomucense Collegium ab eius antecessoribus fundatum, magno annuo vectigali, ipsis hisce diebus auxerit.

Dictum memorabile Archiducis Ferdinandi.

Porrò, vt hoc caput concludamus, tunc aduersarij contra Societatem aliquid efficient; quando, ex tot, tamque diuersis hominum generibus, qui nostra vel templa, vel gymnasia frequentant, vnum reperient; qui se apud nos, vel doctrinam perniciosam hausisse; vel mores, homine Christiano indignos, didicisse; vel ad tumultus & seditiones incitatum fuisse, audeat profiteri. Spero enim fore, vt nõ magis in Polonia huiusmodi homo reperiatur, quàm in Gallijs *Henricus Quartus*, octo vel nouem annorum spatio, dum de restituenda Societate deliberaret, ipsomet teste, potuerit reperire Sed tempus monet, vt à moribus ad rem familiarem transeamus.

AN SOCIETAS ABVNDET DIVITIIS, ALIENISue inhiet.

Cap. VIII.

NON desunt, Rex Serenissime, qui nos vel ditissimos credant; vel, quod potiùs crediderim, vt inuidiam concilient, verbo tenus id prædicent. O prisca pietas, quantùm inter nostra, & vetusta secula discrimen. cogor hac de re differere, vt ostendam, quàm immeritò nota cupiditatis & auaritię, nostro Ordini inuratur; alioqui satis esset dicere, qui odit opera pia benè fundata, esse impium; qui bonis inuidet, esse auarum. Vt igitur hinc incipiam, ausim affirmare, in Polonia fuisse Abbatias, & Monasteria, quorum redditus, adæquârint redditus vnius integræ nostræ Prouinciæ. Ausim & dicere, nullum Monasterium ex antiquis, tam tenuiter fuisse fundatum, quin superaret nostram maximam fundationem. Esto enim alicubi habeamus bona, ad speciem ampla, re ipsa tamē sunt exigua. Rationes omnes vidi; statum perpendi; Collegia omnia inchoata, vix vlla, ac ne vix quidem perfecta; omnia ære alieno obstricta. Nullum est Collegium, quod detractis sumptibus, qui ordinariè & necessariò fiunt, in cultu templi, in bibliotheca, in viaticis, in bonis defendendis, sartis tectis conseruandis, & alijs similibus; sexaginta personas alere possit, si pro singulis 60. annui floreni assignentur; pauca triginta alere possunt; vix viginti nónnulla; ac ne vix reliqua; ita vt non raro oporteat nos iuuari, magno illo parsimoniæ, paupertatis, patientiæ, vectigali. Et hæc de Prouincia Poloniæ. Nam de Lithuania non loquor, ne, quæ de ea verissimè dicēdā essent, hyperbolicè dicta videantur; incredibile enim est, quàm miserè his annis, possessiones nostræ fuerint, tum ab hostili rabie vastatæ, tum à militari licentia denudatæ.

Porro, etsi magnæ sunt rei familiaris angustiæ; non tamen bonis inhiamus alienis: nam si quæ in sæculo propria habuimus, ob amorem paupertatis sponte reliquimus; & quæ poteratSo-

rat Societas iuste accipere, vltro reiecit; quis credat illam inique inhiare alienis? quis vnquam gloriari poterit se nobis pro scholis, pro sacris, pro concionibus, pro confessionibus, vel teruncium dedisse? quod tamen sicuti ab alijs, sic à nobis non illicite fieri potuit. Si ergo ab ijs abstinemus, quæ alioqui licita sunt; ob solam constitutionum nostrarum reuerentiam, quæ gratis dare, quæ gratis accepimus, iubent; & ne vel minimum quid pro nostris ministerijs accipiamus, prohibent; quàm difficile erit probare, nos ob pecunias, vel simplices decipere, vel diuites circumuenire? qui hæc credunt, vt alibi attigi, nimis abiectè de nostra Societate sentiunt; sed nunquam probabunt, nostros Patres ita sordidè auro adhærere, qui pro Christi honore, proprij sanguinis facti sunt prodigi; vt in quadam Constitutione testatus est Pius V. Pont. Max. & perpetuò testatur, tanta, tamque continua *in Indijs, Iaponijs, Anglijs, Transyluanijs, ipsisq; Polonijs*, sanguinis nostri pro religione facta profusio. Mihi sum ego conscius, hoc anno non semel mandasse, ne acciperentur eleemosynæ, quæ aliquam, vel laborum, vel ministeriorum nostrorum compensationis speciem habere posse videbantur. Et semel cuidam magno viro remitti curaui, non contemnendam aureorum summam; quam ideo ipsum misisse suspicabar, quia ferijs Paschalibus, proximè elapsis, aliqui è nostris Sacerdotibus, in ipsius villis atque arcibus obierant missionem; neque illius restitutionis alius fuit scopus; quàm conseruatio puritatis instituti; alioqui enim, ab illo viro aliud nihil à nobis poterat expectari.

Bull: cum indefesse An: D. 1571.

Vt igitur eleemosynas accipiamus, duo requiruntur. Primò, ex parte nostra, vt sit necessitas. secundò, ex parte dantis, vt non vllius ministerij intuitu: sed ex solo Dei amore eleemosynam tribuat. Vt autem intelligatur nos, non solùm non esse, sed nec diuites esse posse; aliquid dicam in gratiam eorũ, qui tam curiosè nostra scrutantur; vt etiã quid in secretissimo Sacramẽtalis pœnitẽtiæ tribunali fiat, velint expiscari.

Triplicis igitur sunt generis nostra Domicilia: *Domus professæ, Do-*

sa, Domus Probationis, & Collegia. Residentias omitto, quæ vel inchoata sunt domicilia, vel ab ijs pendent, tanquam à capite mēbra. Domus Professę, qualis est *Cracouiæ, Vilnæ, & Varsouiæ*; adeò paupertatis amantes sunt, atq; tenaces, vt nullos prorsus redditus certos habere possint; ex puris eleemosynis viuunt; nō quidē pro ministeriis datis; sed pro amore Christi quæsitis, vel oblatis, & victu ac vestitu cōtētæ, dignā religiosā paupertate, vitam degunt; nec vnquam à solita modestiæ, & parsimoniæ regula, vel tantillum declinant, esto sexcentas haberent declinandi commoditates. Quis ergo arte, vel fraude diuitias velit congregare omninò superfluas? quæ neque ad redditus, qui non permittuntur, comparandos valent: neque ad commoditates, quæ prohibentur, acquirendas, vsum habent.

Domus Professæ Societ: nullos redditus habere possunt.

Collegia verò, vtpote studiorū seminaria, certos redditus habere possunt, & debent; & si nō sint sufficiēter fundata, eleemosynis se etiam iuuare possunt. At si fundatio sufficiat, pro sustentandis ijs, qui secundùm institutum, pro ratione cuiusque Collegij, sunt necessarij, non amplius vti possunt eleemosynis; quod fideliter seruatur, vbi Collegia liberaliore manu sunt fundata; qualia vel nulla, vel vix vlla sunt in Polonia; & si quando erunt, illicò eleemosynæ cessabunt.

Restant Domus Probationis, quæ paucissimæ sunt, singulæ ferè in singulis Prouincijs; quæ etsi præter redditus, etiam eleemosynis frui possint; tamen cùm eorum ministeria sint priuata, & domesticis parietibus circumsepta, non gaudent multis eleemosynarum præsidijs. Et licet *Nouitij* ad virtutem, tum probandā, tum exercendam, soliti sint emēdicare; tamen & exiguas eleemosynas colligunt, & eas cum hospitalibus, & carceribus communicare consueuerunt.

Ex his colligitur, primò; nos neque diuites esse, neque diuitias possidere posse: quia nunquam vltra necessitatem quidquam possumus habere. Colligitur secundò, nullum periculum esse, vt propter eleemosynas, artibus nostris, vt aiunt, quæsitas; vel Familiæ exhauriantur, vel Respublica eneruetur; quia

tur;quia nos nihil vnquã vltra necessitatẽ,frequẽter infra necessitatẽ habemus. Quod ex eo maximè patet,quia vix vllibi ædificia habemus,in quibus iuxta statũ religiosũ,decẽter habitemus;& *Collegiũ Posnaniẽse*,quod in hac Prouincia Poloniæ est supremũ, ita quoad ædificia est constitutũ;vt cũ sexaginta ex nostris alat,plusquã media pars sub tegulis habitat, in quibusdã tuguriolis,muribus magis,quàm hominibus accõmodatis.Et cùm perpetuò de ædificando cogitemus; nunquam manum ad opus admoueamus : quia nihil vnquam ex necessario victu superest, quod fabricæ commodare possimus. De altero autem præcipuo *Lithuaniæ Vilnensi* Collegio,illud affirmare possum; cùm proximo,communi ciuitatis incendio,conflagrasset,& ruinas instaurandi modus non suppeteret; nostros adeò incommodè habitasse, vt hyeme præterita viderim,aliquos neque locum, vbi à niuium ventorumque iniuria se tuerentur, habuisse. Quare ne fratres meos, Dei seruos, viderer negligere, mandandum fuit; vt præter aliud æs, alienum contractum, aliquot talerorum millia, ad censum acciperentur.Non arte igitur,aut fraude,aliorum pecunias quærimus; sed Christi imitatione,& paupertatis amore,præsentis vitæ necessitates toleramus.

Sed velim dicant mihi,diligentissimi hi,rerum nostrarum obseruatores; quis è nostris, paucis hisce mensibus, his vltimis diebus,*Illustrissimum Adamum Novvodvvorski nominatum Episcopum Camenecensem*,circumuenit; vt nobis neque cogitantibus *Lomzæ* Collegium tam liberaliter fundaret; vt in eam fundationem, patrimonij partem,quam sibi reseruârat, conferre non dubitaret? Quis *Illustrissimum Nicolaum de Pacz Samogitiæ Episcopum*, induxerit; vt pro Societate in sua Ecclesia fundanda, prædia, pecuniam, bibliothecam, ac supellectilem offerret? Quis *Illustrissimum vtriusque Ducatus, magni Lithuaniæ & Samogitiæ Generalem Capitaneum, Ioannem Carolum Chodkieuicium* deceperit, vt nobis Collegium *Krosis* liberalissimè collocaret? Quis alios, non minùs appellatione, quàm pietate magnificos, vt vtrique operi *Lomzensi & Krosensi* manus adiutrices apponeret,

Lomzæ Coll. S. I.

Krosis in Samogitia Coll. S. I.

impulc-

impulerit? Quis *Magnificum vvolucki*, vt *Raua* nobis tantum non inuitis, Residentiam, futuri Collegij prænunciam, instrueret, persuaserit? Quis alterum *Magnificum Bal* incitauerit, vt tam piè, tam constanter, tam enixè per literas, per amicos, per se ipsum me rogaret; vt pro alterius Collegij *Krosna* instituendi felici initio, non pauca aureorum millia, inscribere sibi liceret? Velim, inquam, vt quibus artibus, qua fraude, quo dolo, quibus, vt ita dicam, cantionibus, tanta, à tantis viris, tam breui tempore, extorserimus; oblocutores nostri palàm faciant. Nam esto pauperes simus, & cùm necessitas vrget, emendicare non erubescamus; tamen frequenter accidit, vt in eleemosynis potiùs præueniamur, quàm præueniamus; & benefactores sæpiùs nos rogent, vt accipiamus, quàm vt nos illis, vt tribuant, suadeamus. Qui mos ex modestia natus, cum Societate ab ipsis incunabulis creuit. Vnde cùm *Ferdinandus Imperator*, Collegia *in Austria*, *Bohemiæ*, *& Tyroli* fundaret, animoque Austriaco, id est, excelso, multa, quæ Patres recusabant, offerret; eum dixisse ferunt: *Acceptate, non semper Ferdinandum habebitis*. At inquiunt illi: nunquam deerit, qui succurrat necessitati. Vti re ipsa ante in *Tyroli* fecit *Serenissimus Archidux Ferdinandus*, & in *Bohemia* modò fieri intelleximus; *Ferdinandei* enim tum Imperij, tum animi hæres *Matthias Augustissimus*, tenuitatem Pragensis Collegij aduertens, illam in duplum Imperiali munificentia augere molitur.

Raua residentia S.I.

Krosnæ residētia Soc.

Ferdinādi Imperatoris affectus erga Soc.

Ne longum faciam, multa mitto; tantum addo: Si Societas terrenis inhiaret bonis; quantas diuitias ex illis solis Polonis, qui illi nomen dedērūt, congregare posset? nam quàm facilè esset illis persuadere, vt Societati suas hæreditates darēt? & tamen videmus, quàm pauci, in tanta multitudine, & quàm parum, in tanta Nobilitate, consueuerint in Societatem conferre; hoc sanè possum affirmare, me (nisi mea me fallat memoria) in visitandis nostris bonis stabilibus, nec vnū rusticellū, ne dicā pagum, reperisse, qui ab vllo è nostris nobis

sit da-

tem accepisse puto illa viginti quinq; *Præmonstratensium Monasteria in Belgio*; cum illis triginta millibus librarum pensionis annuæ; sicuti illa alia quinquaginta millia coronatorum annuæ pensionis, cum suis Præpositurisin Gallijs, & alia alibi Monasteria. Nam si ab illo, vel alio simili mendacij auctore, non accepit, ipse finxit; sanè apud nos ea non reperit, & tamen tam audacter illa affirmat; ac si Euangelium recitaret. Nam etsi non nego Societatem aliqua Monasteria, à suis religiosis deserta, & à summis Pontificibus, alijsque Principibus, legitimum ius habentibus, nobis tradita; possidere, vti videre est *Rigæ*, atque *Brunsbergæ*, nego tamen vllos vnquam religiosos vi, vel fraude, ex suis Monasterijs à nobis esse eiectos. hoc enim procul abest à Catholicis, proprijssimum est hæreticis, qui cùm nulla vnquam ædificârint Monasteria; possident tamen innumera, vi & fraude, in *Germania*, *Anglia*, *Scotia*, *Gallia*, *Hibernia*, occupata, & sacrilegè direpta, atque profanata.

Quod si quis esset, qui id, verumne sit experiri vellet, non illum ego in regiones tam longinquas mitterem; satis esset, si nonnihil per *Prussiam*, *Pomeraniam*, *Curlandiam*, *Liuoniam*, animi gratia spatiaretur, & *Torunium*, *Elbingam*, *Gedanum*, *Regiomontum*, *Rigam*, aliasque ciuitates ingrederetur; statim quod quærimus, obuiam haberet. Tot enim Monasteria, tot Ecclesias, tam Parochiales, quàm etiam Cathedrales, olim à Catholicis ædificatas, nunc ab Euangelicis occupatas, reperiret; vt non mali Arithmetici laudem mereatur, si quis illas certo numero comprehendere possit. Illud verò maximè mirum videri potest, cur tantoperè Anonymus nos insectetur; quia trium vel quatuor Parochialium Ecclesiarum, penes nos sit ius patronatus, nobis à Regibus legitimo iure, absq; vllius iniuria, collatus; cùm maximè hæretici infinitas vi, & iniquè occupent Ecclesias. Hæ mihi hoc consideranti in mentem causæ venêre: Primùm, quia rumpitur inuidia; deinde, quia desperat, quod in manibus nostris est, posse amplius ab hæreticis rapi. Demum, quia videt in huiusmodi Ec-

relinquamus, alibi reperiemus; interim verò, ne erremus quæcunque dixit, temerè ac falsò dictum existimemus.

AN GEDANI, TORVNII, RIGAE, DERBATI, VILNAE, Posnaniæ, Lublini, Societas vlli iniuriam fecerit, vel publicam pacem turbârit.

Cap. IX.

TAM in particularibus districtuum Conuentibus, quàm in generalibus Regni Comitijs, sæpiùs quorundam querelas audiuimus; quasi vel aliena inuadamus; vel publicam ciuitatum pacem turbemus, & Regnum euertamus. Hæc quoque discussi, & rebus inter se collatis, rationibusque subductis, dati & accepti summam feci; & tandem quid alij nobis; quid nos alijs in genere iniuriarum deberemus, collegi. Et aduerti, nobis quidem multos multa debere; quia multi multas nobis iniurias fecêre; attamen qui iniuriam fecerunt, quasi accepissent, pœnas à nobis repetunt. Rem ad calculum reuocemus; & quod asserimus, exemplis illustremus.

GEDANVM.

GEDANI, vtraque auctoritate, Regiâ & Episcopali, collocati sumus; & templi *Brigittani* concessus vsus. Vident Gedanenses nonnullum fructum fieri, & sensim Catholicā religionem propagari. Hoc quidem ferre non possunt; nondum tamen Catholicum exercitium apertè impedire volūt; obliquas igitur vias quærunt; & quasi nos illius templi esse_mus iniqui inuasores; ipsi verò pij defensores; vtraq; auctoritate Regia & Ecclesiastica contempta; vi nos templo excludunt. Rei indignitate motus *Illustrissimus Laurentius Gebicki, Vladislauiensis Episcopus, & Regni Cancellarius*, accurrit; & Patres in statu suo reponit; nouisque suis ac Regijs firmat decretis. Vix autem discedit, cùm Gedanenses, iure rursum violato vsum templi Patribus vi adimunt; armatamque custodiam, ne vel accedere possint, collocant. Quo facto Gedanenses, & in *Gedanensium qualis in Iesuitas animus.*

 Regiam

Regiam Maieſtatem contumaces ; & in Epiſcopalem inobedientes;& in Catholicæ religionis libertatem iniurioſi; & in nos violenti eſſe, conuincuntur. Et nihilominus fucum actionibus ſuis facientes, ſpargunt, nos inuaſores, & alieni raptores eſſe;& ſic tantùm abeſt, vt quod ademerunt, reſtituant; vt potiùs nouis iniurijs afficiant. Quod argumentum conuincit eos decipi; qui putant Regnum noſtris legibus gubernari. Sed ſpero tandem Regiam cum Regno Maieſtatem harum rerum pertæſam;ne malum latiùs ſerpat; opportuna remedia adhibituram ; cùm maximè videat nihil aliud, quàm religionem Catholicam ad interitum peti; initium autem à nobis fieri. Nam ſicuti *Illuſtriſſimus Comes Hieronymus Rozrareuius Epiſcopus Vladiſlauienſis, vir auctoritate, prudentiâ, & pietate clariſſimus* , cùm ſuæ Eccleſiæ neceſſitates examinaſſet; modos ac vias, quibus Dominicum gregem ſibi concreditum; maximè verò nobiliſſimum Gedanenſe emporium, in viam ſalutis dirigeret, exploraſſet; nihil aptiùs Collegio Societatis eſſe indicauit; ſic religionis Catholicæ aduerſarijs, nihil magis cordi eſt, quàm vt impediant, ne Collegium hoc perficiatur. Sed placet audire ipſummet Antiſtitem in Priuilegio fundationis collegij, ſic loquentem.

Hierō: à Rozrazovv Ep: Vladiſ: de Societate iudiciū

Prima omnium, tanquam ad id maximè hoc tempore idonea, venit in mentem Societas Ieſu; quàm ad excolendam vineam Domini, hæreſesq; euellendas, vocatam eſſe; magnoq; cum fructu, vbique terrarum, etiam apud infideles & gentes; non ſolùm circa ſalutem proximorum verùm etiam circa educationem, atque inſtitutionem iuuentutis, laborare, & deſudare, euidentibus indicijs cernimus; ad quod vel maximè piorum Principū, vigilantiſſimorumq; Antiſtitū exempla; tam in hoc, quàm in alijs Chriſtianis Regnis, non parū nos incitârunt; qui eãdem Societatem magnifecerunt, complexi ſunt; ipſisq; non pauca domicilia, & Collegia vtiliſſimè erexerunt, & fundârunt. Proinde communicato conſilio cum Venerabilibus Fratribus noſtris, Prælatis, & Canonicis Eccleſiæ noſtræ Cathedralis Vladiſlauienſis; reque benè, & per multos annos deliberata, & expenſa; hoc conſilium noſtrum, quod à Deo ipſo omnium bonorum fonte profectum arbitramur, executioni mandare conſtituimus. Atque tandem à Reuerendiſſimo P. Claudio Aquauiua, Præpoſito Generali eiuſdem Societatis, idquod ſummopere ad Dei gloriam deſiderabamus, precibus obtinuimus qui prout ante aliquot bonos doctosq; operarios, pro illa ciuitate (Gedanenſi) *magno multorum bono nobis concesſerat ; ita etiam tandem*

Collegium

Collegium quoque ipsum Societatis ibidem (Gedani) *accepturū se magna cum animi propensione recepit.quod quidem nos erigendum,dotandum,ac fundandum in Dei nomē decreuimus.* Hæc præsul ille,toto Regno celeberrimus, quibus clarè ostendit Societatem nostram, non ad ciuitates turbandas, sed ad viam salutis ostendendam à Deo esse institutam,& tum alibi,tum Gedani collocatam. Neque verò,si vnam religionem excipias,vlla nobis cum Gedanensibus est difficultas: nam cùm alioqui viri honesti sint, honestè nobiscum agunt.

TORVNIVM.

Similì passu non dissimiles Gedanensibus gradiuntur Torunienses. Cùm enim multis ab hinc annis Collegium nostrum *Torunij ab Illustrissimo Culmensi Episcopo*,sit fundatum,& Regiâ, Regnique auctoritate fuerit firmatum ; semper tamen aliquid ipsi contra nos moliuntur ; modò vi aperta, modò arte occulta , modò in Nobilium Conuentibus grauia nobis affingendo;modò apud Regiam Maiestatem conquerendo;modò minas intentando ; modò famosis libellis famam nostram proscindendo;infinitisque alijs modis vexando. Et nihilominus cùm tot molestias nobis inferant,ita semper contra nos clamant,ac si à nobis ipsi extrema paterentur. Vnum referam,vt ex vngue leonem. *Torunij* æstate præterita,excitatus est nescio quis tumultus; statim vbique diuulgatum, nos causam tumultuandi præbuisse ; nostros discipulos tumultū perfecisse.Cùm rumor satis exaggeratus, Brunsbergā vbi tunc erā, peruenisset;etsi nōme latebat,quām cautè tum meā,tū aliorū Superiorū ordinatione Torunij nostri agāt, ne vel minimā ansam querelarum Toruniēsibus prębeant:tamen quia in humanis multa præter opinionē,multa etiam contra voluntatem accidunt ; eram de sparso illo rumore sollicitus:quàm primum igitur potui,Torunium me contuli;vt potiùs præsens oculis, quàm absens auribus rem perciperem.Nota narro, ideò paucis expedio. Annuæ Rogationum instituebantur supplicationes; Magistratus vocat no-

Torunienſis tumultus cauſa, nō Ieſuitæ, ſed ipſi-met Torunienſes.

ſtros,& vt ab huiuſmodi ſupplicatione abſtineant,monet;reſpondent illi,hoc ſuâ nihil intereſſe; Parochi negotium eſſe. Parochus igitur de more ſupplicationē inſtituit;cui quia interſunt noſtri diſcipuli,(adſunt & eorum Magiſtri,qui eos in officio cōtineāt;tū ob ſanctitatē ſupplicationis, tū ob ædificatione ciuitatis,tum,ne vlla carpēdi daretur occaſio.Ciues neſcio quas cauſas prætexētes,plateas cathenis claudūt; clamores excitant; præeuntes vi repellūt;ſupplicationē impediūt.Hęc ego à viris grauiſsimis,&illuſtri loco natis,accepi;qui non ab alijs audiuerunt,ſed ipſimet interfuerunt. Iam Torunienſes clamant,noſtros diſcipulos hoc facere; nos hoc tentare in perniciem ciuitatis; ſcilicet nos cathenas trahimus; nos plebem cōuocamus;nos ſupplicationem armati repellimus.Nec in angulis hæc dicunt, ſed in Nobilium Conuentibus ſpargunt; famoſis libellis euulgant; & ad V. S. M. ſcribunt.

Excuſationes Torunienſiū nullæ.

Vellem hîc habere aliquem iudicem,tantùm æquitati non inimiciſsimum;qui definiret, an pueri, qui nullo armorum genere inſtructi,ſolis ſertis caput redimiti, bini & bini modeſtè incedunt,& ſub Præceptorum cuſtodia, pias laudes Deo canunt,tumultum excitent?an potiùs illi,qui plateas præcludunt,libertatem religionis violant, vi ſupplicationem repellunt,iniuriam Catholicis omnibus faciunt?At effugium habent; dicūt enim ſe hęc feciſſe, maioris mali declinandi gratia;quia ſi ſupplicatio proceſsiſſet,à plebe aliquid grauiùs expectari potuiſſet.Eleganter ſanè,ne fiat tumultus, tumultum faciunt; ſic fecit vir ille bonus, qui,ne amicus à latronibus ſpoliaretur in ſylua, ſpoliauit ipſe in taberna. Hoc non erat remedium malo opportunum:illud fuiſſet, ſi magiſtratus plebem cohibuiſſet,ſeque vigilantiorem,pacisque amantiorem oſtendiſſet.

Vera cauſa Torunienſis tumultus.

Veriorem cauſam audiui ego, à Magiſtratu eſſe allatam; cùm,tum noſtros,tum Vicarios Sacerdotes, vt à ſupplicatione ſuperſederent, admoneret; quia videlicet, Torunenſium oculi,abominabiles Catholicorum idololatrias, non

poſſunt

possunt ferre, hoc enim nomine sanctissima Ecclesiæ Instituta appellare consueuerũt, religionis Catholicæ aduersarij, & sanctitatis iurati hostes Caluiniani. Sed illud pulchrum. Parochus vrgente consciẽtiã, suum ius prosequitur; & illud facit, quod sine graui nota omittere nequit; supplicationem enim, vt perficiat, vrget; cum non potest, protestationem facit. Hæc omnia nobis vitio vertunt Torunenses, quasi illum excitemus, & inuitum ad illa præstanda trahamus. Qua in re errant quidem, sed tamen pectoris arcanum aperiunt; ostendunt enim, quantoperè cupiunt nos extra illam ciuitatem, amandatos, ne illis in fine suo assequendo obstaculo simus. Volunt enim Catholicæ religionis libertatem tollere, exercitium paulatim extinguere; & quia nos obstare sentiunt, ideò ante omnia amotos cupiunt. Non igitur mores nostri, non discipulorum petulantia; sed odium religionis Catholicæ, vt illis inuisi simus, facit. Non quidem omnibus; plures enim iam veritatem vidẽt, vtilitatem sentiunt, & scholas cupiunt; sed illis, qui priuatum affectum bono communi anteponunt, & secum plures alios trahunt; reque ipsa verum esse ostendunt, quod Romanæ Historiæ parens T. Liuius obseruauit; res priuatas bonis & sanis consilijs offecisse, & non Romano solùm, alijs etiam imperijs & ciuitatibus miserrimum interitum attulisse.

Sed est sanè quod & Torunieñsibus gratuler, & mihi gaudeã; illis, quod tandem illum iudicem Serenissimum Regem repererint, quem toties se desiderasse, nunquam reperire potuisse, conquesti sunt. Dictitare enim consueuerunt, in Polonia non esse ius contra Societatem, illam Iudicẽ nullum agnoscere, iure cum ea agi non posse. Hæc non verbis tantùm, re etiam ipsa ostenderunt; cùm non via iuris, sed facti nobiscum processerunt; quando violenter nos ex ædibus nostris excluserunt; in discipulos nostros manus iniecerunt, & alia similia præstiterunt. Sed cùm optimè intelligant, nos in causis realibus, & Iudices agnoscere, & tribunalia non declinare; ad maiorẽ tamen inuidiam conflandam, vtuntur à qui-

uocati-

uocatione,& dicunt nos Iudicem nullum agnoscere. Quod si ad causas reales,& terrestres referunt;falsum dicunt,& contrarium ipsimet sentiunt;qui de domo quadam; pluribus annis nobiscum coram competenti Iudice litigarunt. Si verò de personis intelligunt; odium pandunt: quo vellent licere, more Anglicano, religiosos ad suum prætorium rapere, de fide & moribus iudicare, damnare, mulctare. Quod ne fiat, obstat Priuilegium,non Societati proprium,sed omnibus religiosis & Ecclesiasticis commune in omnibus Regnis, vbi dominantur Principes Catholici.Sed ne digrediamur,gratulor illis,quòd Iudicem inuenerint Serenissimum Regem, à quo iustitiam expectent.Mihi autem gaudeo,quin contineri nequeo,quominùs manus ad S. M. V. supplex tendam; fidem obtestor,iustitiam implorem,atque humillimè petam;vt causam hanc cognoscat;vtra pars vtri iniuriosa sit, dispiciat, & quam criminis ream inuenerit, eã vti decet,coërceat;modestiusque viuere,& pacem colere, debitis modis edoceat; & tot ac tantis querelis, tandem aliquando modum imponat.Spero enim fore,vt V.S. M. in hac causa nihil aliud inueniat,quàm Torunienses illa duo velle extinguere, propter quæ Collegium in ea ciuitate fuit fundatum Catholicæ religionis exercitiũ,& iuuentutis institutionem.Hæc enim sunt illa duo, quorum maximè in literis fundationis Collegij meminit *Illustrissimus Petrus Kostka Episcopus Culmensis*, tanquam summè necessaria;& propter quæ Collegij illius erectionem,se optasse,& procurasse testatur.Præuidit optimus præsul, quæ nos modò videmus, pusillum gregem Christi Torunij, incrementum sumpturum; & pro vno, qui ante, centum; & pro decem, mille posse numerari; qui assiduè templum frequentent, sacra mysteria vsurpent, lucem Euangelij aspiciant. Sicuti & studiosa iuuentus concurrit; quæ velut in herba copiosæ messis spem magnam facit.Hæc sunt,quæ Toruniensium corda pungunt;& ne in ciuitate tãtum,tamque longum Catholicorum agmen conspiciatur, supplicationes impediunt;& ne vberes scholastica disciplina

Cur Torunienses tantum odium in Collegiũ Soc: Iesu.

fruges

fruges, ad maturitatem veniant, eas in herba demetere, vel potiùs vastare conculcareque volunt.

Neque dicant, translato Collegio, religionem cum aliis Sacerdotibus Torunij mansuram; quia reuera saltem integra non maneret, si (quod absit) illam ibi omnibus exercere non liceret. Tota autem iuuentutis institutio periret. Non me latet patronum quendam (si Deo placet) veritatis, conatum esse famoso edito libello, Torunienses defendere; sed tot mẽdacia confinxit, vt mirum sit, scientibus & volentibus Toruniensibus, viris alioqui prudentibus, patrocinium illud esse editum: sed quia eorum operâ, & in gratiam dicunt esse conceptum, coagmentatum, formatum, editum, vulgatum, varijs linguis donatum, & tanquam proprium reputatum; audeò affirmare, in controuersia quæ inter nos & illos intercedit, nil magis nobis fauere, quàm istud patrocinium. Nemo enim ignorat, nec Torunienses ignorare existimo, nihil magis obesse litiganti, quàm si documenta, quæ pro causæ firmamentis afferuntur, ilicò vt probata sunt, falsa, spuria, & suppositititia cognoscantur; vt accidit in hoc libello, cuius aliqua ostendimus falsa; vbi de Societatis diuitijs, seu auaritia egimus: & plura ostendemus, cùm de rebus Gallicis, Venetis, Anglicis, Transyluanicis, & Vngaricis agemus. Tanta enim nocendi voluntas in homine fuit, vt suscepti muneris defendendæ veritatis, oblitus, quæcunque mendacia, vel excogitare ipse, vel ab alijs emẽdicare potuit, omnia temerè, & sine discrimine collegit, & in Societatem euomuit. Qua in re magnum præiudicium ipsis Toruniensibus fecit; nam cùm tot adulterenos partus suppofuerit, verendum est, ne illud quoq; priuilegium, quod ad probandum ius alternatiuum, templi Parochialis, protulit, suppofititium sit. Certè coniectura nõ deest grauis; nã cùm fuerit ita diligens in alijs narrationibus etiam fabulosis, in ea, quæ summi momenti erat, adeò negligens fuit, vt tempus, locum, Regem omiserit; sine quibus priuilegium perit. Cur autem hoc fecerit, (salua veritate) eã causam fuisse reor, quia in alijs mentiri non putauit periculosum.

relinquamus, alibi reperiemus; interim verò, ne erremus quæcunque dixit, temerè ac falsò dictum existimemus.

AN GEDANI, TORVNII, RIGAE, DERBATI, VILNA, POSNANIA, LVBLINI, SOCIETAS VLLI INIURIAM FECERIT, VEL PUBLICAM PACEM TURBÂRIT.

Cap. IX.

TAM in particularibus districtuum Conuentibus, quàm in generalibus Regni Comitijs, sæpiùs quorundam querelas audiuimus; quasi vel aliena inuadamus; vel publicam ciuitatum pacem turbemus, & Regnum euertamus. Hæc quoque discussi, & rebus inter se collatis, rationibusque subductis, dati & accepti summam feci; & tandem quid alij nobis; quid nos alijs in genere iniuriarum deberemus, collegi. Et aduerti, nobis quidem multos multa debere; quia multi multas nobis iniurias fecêre; attamen qui iniuriam fecerunt, quasi accepissent, pœnas à nobis repetunt. Rem ad calculum reuocemus; & quod asserimus, exemplis illustremus.

GEDANVM.

GEDANI, vtraque auctoritate, Regiâ & Episcopali, collocati sumus; & templi *Brigittani* concessus vsus. Vident Gedanenses nonnullum fructum fieri, & sensim Catholicā religionem propagari. Hoc quidem ferre non possunt; nondum tamen Catholicum exercitium apertè impedire volūt; obliquas igitur vias quærunt; & quasi nos illius templi esse_ mus iniqui inuasores; ipsi verò pij defensores; vtraq; auctoritate Regia & Ecclesiastica contempta; vi nos templo excludunt. Rei indignitate motus *Illustrissimus Laurentius Gebicki, Vladislauiensis Episcopus, & Regni Cancellarius*, accurrit; & Patres in statu suo reponit; nouisque suis ac Regijs firmat decretis. Vix autem discedit, cùm Gedanenses, iure rursum violato vsum templi Patribus vi adimunt; armatamque custodiam, ne vel accedere possint, collocant. Quo facto Gedanenses, & in *Gedanensium qualis in Iesuitas animus.*

 Regiam

Regiam Maieſtatem contumaces ; & in Epiſcopalem inobedientes;& in Catholicæ religionis libertatem iniurioſi; & in nos violenti eſſe, conuincuntur. Et nihilominus fucum actionibus ſuis facientes, ſpargunt, nos inuaſores, & alieni raptores eſſe;& ſic tantùm abeſt, vt quod ademerunt, reſtituant; vt potiùs nouis iniurijs afficiant. Quod argumentum conuincit eos decipi; qui putant Regnum noſtris legibus gubernari. Sed ſpero tandem Regiam cum Regno Maieſtatem harum rerum pertæſam;ne malum latiùs ſerpat; opportuna remedia adhibituram ; cùm maximè videat nihil aliud, quàm religionem Catholicam ad interitum peti; initium autem à nobis fieri. Nam ſicuti *Illuſtriſsimus Comes Hieronymus Rozrareuius Epiſcopus Vladislauienſis, vir auctoritate, prudentiâ, & pietate clariſsimus*, cùm ſuæ Eccleſiæ neceſsitates examinaſſet; modos ac vias, quibus Dominicum gregem ſibi concreditum; maximè verò nobiliſsimum Gedanenſe emporium, in viam ſalutis dirigeret, exploraſſet; nihil aptiùs Collegio Societatis eſſe indicauit; ſic religionis Catholicæ aduerſarijs, nihil magis cordi eſt, quàm vt impediant, ne Collegium hoc perficiatur. Sed placet audire ipſummet Antiſtitem in Priuilegio fundationis collegij, ſic loquentem.

Hierō: à Rozrazovv Ep: Vladiſ: de Societate iudiciū.

*Prima omnium, tanquam ad id maximè hoc tempore idonea; venit in mentem Societas Ieſu; quàm ad excolendam vineam Domini, hæreſesq́ euellendas, vocatam eſſe; magnoq́ cum fructu, vbique terrarum, etiam apud infideles & gentes; non ſolùm circa ſalutem proximorum; verùm etiam circa educationem, atque inſtitutionem iuuentutis, laborare, & deſudare, euidentibus indicijs cernimus; ad quod vel maximè piorum Principū, vigilantiſsimorumq́ Antiſtitū exempla; tam in hoc, quàm in alijs Chriſtianis Regnis, non parū nos incitârunt; qui eâdem Societatem magnifecerunt, complexi ſunt; ipſisq́ non pauca domicilia, & Collegia vtiliſsimè erexerunt, & fundârunt. Proinde communicato conſilio cum Venerabilibus Fratribus noſtris, Prælatis, & Canonicis Eccleſiæ noſtræ Cathedralis Vladislauienſis; reque benè, & per multos annos deliberata, & expenſa; hoc conſilium noſtrum, quod à Deo ipſo omnium bonorum fonte profectum arbitramur, executioni mandare conſtituimus. Atque tandem à Reuerendiſsimo P. Claudio Aquauiua, Præpoſito Generali eiuſdem Societatis, id quod ſummopere ad Dei gloriam deſiderabamus, precibus obtinuimus qui prout ante aliquot bonos doctosq́ operarios, pro illa ciuitate (*Gedanenſi*) *magno multorum bono nobis conceſſerat; ita etiam tandem*

Collegium

Collegium quoque ipsum Societatis ibidem (Gedani) *accepturũ se magna cum animi propensione recepit. quod quidem nos erigendum, dotandum, ac fundandum in Dei nomĩ decreuimus.* Hæc præsul ille, toto Regno celeberrimus, quibus clarè ostendit Societatem nostram, non ad ciuitates turbandas, sed ad viam salutis ostendendam à Deo esse institutam, & tum alibi, tum Gedani collocatam. Neque verò, si vnam religionem excipias, vlla nobis cum Gedanensibus est difficultas: nam cùm alioqui viri honesti sint, honestè nobiscum agunt.

TORVNIVM.

Simili passu non dissimiles Gedanensibus gradiuntur Torunienses. Cùm enim multis ab hinc annis Collegium nostrum *Torunij ab Illustrissimo Culmensi Episcopo*, sit fundatum, & Regiâ, Regnique auctoritate fuerit firmatum; semper tamen aliquid ipsi contra nos moliuntur; modò vi aperta, modò arte occulta, modò in Nobilium Conuentibus grauia nobis affingendo; modò apud Regiam Maiestatem conquerendo; modò minas intentando; modò famosis libellis famam nostram proscindendo; infinitisque alijs modis vexando. Et nihilominus cùm tot molestias nobis inferant, ita semper contra nos clamant, ac si à nobis ipsi extrema paterentur. Vnum referam, vt ex vngue leonem. *Torunij* æstate præterita, excitatus est nescio quis tumultus; statim vbique diuulgatum, nos causam tumultuandi præbuisse; nostros discipulos tumultũ perfecisse. Cùm rumor satis exaggeratus, Brunsbergã vbi tunc erã, peruenisset; etsi nõ me latebat, quàm cautè tum meâ, tũ aliorũ Superiorũ ordinatione Torunij nostri agãt, ne vel minimã ansam querelarum Toruniẽsibus præbeant: tamen quia in humanis multa præter opinionẽ, multa etiam contra voluntatem accidunt; eram de sparso illo rumore solicitus: quàm primum igitur potui, Torunium me contuli; vt potiùs præsens oculis, quàm absens auribus rem perciperem. Nota narro, ideò paucis expedio. Annuæ Rogationum instituebantur supplicationes; Magistratus vocat no-

Toruniensis tumultus causa, nō Iesuitæ, sed ipsimet Torunienses.

stros,& vt ab huiusmodi supplicatione abstineant,monet;respondent illi,hoc suâ nihil interesse; Parochi negotium esse. Parochus igitur de more supplicationē instituit;cui quia intersunt nostri discipuli, (adsunt & eorum Magistri,qui eos in officio cōtineāt;tū ob sanctitatē supplicationis, tū ob ædificatione ciuitatis,tum,ne vlla carpēdi daretur occasio.Ciues nescio quas causas prætexētes,plateas cathenis claudūt; clamores excitant; præeuntes vi repellūt;supplicationē impediūt.Hęc ego à viris grauissimis,& illustri loco natis,accepi;qui non ab alijs audiuerunt,sed ipsimet interfuerunt. Iam Torunienses clamant,nostros discipulos hoc facere; nos hoc tentare in perniciem ciuitatis; scilicet nos cathenas trahimus; nos plebem cōuocamus;nos supplicationem armati repellimus.Nec in angulis hæc dicunt, sed in Nobilium Conuentibus spargunt; famosis libellis euulgant; & ad V. S. M. scribunt.

Vellem hic habere aliquem iudicem,tantum æquitati non inimicissimum;qui definiret, an pueri, qui nullo armorum genere instructi,solis sertis caput redimiti, bini & bini modestè incedunt,& sub Præceptorum custodia, pias laudes Deo canunt,tumultum excitent?an potius illi,qui plateas præcludunt,libertatem religionis violant, vi supplicationem repellunt,iniuriam Catholicis omnibus faciunt?At effugium habent; dicūt enim se hęc fecisse, maioris mali declinandi gratia;quia si supplicatio processisset,à plebe aliquid grauius expectari potuisset.Eleganter sanè,ne fiat tumultus, tumultum faciunt; sic fecit vir ille bonus, qui,ne amicus à latronibus spoliaretur in sylua, spoliauit ipse in taberna. Hoc non erat remedium malo opportunum:illud fuisset, si magistratus plebem cohibuisset,seque vigilantiorem,pacisque amantiorem ostendisset.

Excusationes Toruniensiū nullæ.

Veriorem causam audiui ego, à Magistratu esse allatam; cùm,tum nostros,tum Vicarios Sacerdotes, vt à supplicatione supersederent, admoneret; quia videlicet, Toruniensium oculi,abominabiles Catholicorum idololatrias, non

Vera causa Toruniensis tumultus.

possunt

possunt ferre, hoc enim nomine sanctissima Ecclesiæ Instituta appellare consueuerūt, religionis Catholicæ aduersarij,& sanctitatis iurati hostes Caluiniani. Sed illud pulchrum. Parochus vrgente cōscientiā, suum ius prosequitur; & illud facit, quod sine graui nota omittere nequit; supplicationem enim, vt perficiat, vrget; cum non potest, protestationem facit. Hæc omnia nobis vitio vertunt Torunenses, quasi illum excitemus,& inuitum ad illa præstanda trahamus. Qua in re errant quidem, sed tamen pectoris arcanum aperiunt; ostendunt enim, quantoperè cupiunt nos extra illam ciuitatem, amandatos, ne illis in fine suo assequendo obstaculo simus. Volunt enim Catholicæ religionis libertatem tollere, exercitium paulatim extinguere; & quia nos obstare sentiunt, ideò ante omnia amotos cupiunt. Non igitur mores nostri, non discipulorum petulantia; sed odium religionis Catholicæ, vt illis inuisi simus, facit. Non quidem omnibus; plures enim iam veritatem vidēt, vtilitatem sentiunt,& scholas cupiunt; sed illis, qui priuatum affectum bono communi anteponunt,& secum plures alios trahunt; reque ipsa verum esse ostendunt, quod Romanæ Historiæ parens T. Liuius obseruauit; res priuatas bonis & sanis consilijs offecisse,& non Romano solùm, alijs etiam imperijs & ciuitatibus miserrimum interitum attulisse.

Sed est fanè quod & Toruniēsibus gratuler,& mihi gaudeā; illis, quod tandem illum iudicem Serenissimum Regem reperierint, quem toties se desiderasse, nunquam reperire potuisse, conquesti sunt. Dictitare enim consueuerunt, in Polonia non esse ius contra Societatem, illam Iudicē nullum agnoscere, iure cum ea agi non posse. Hæc non verbis tantùm, re etiam ipsa ostenderunt; cùm non via iuris, sed facti nobiscum processerunt; quando violenter nos ex ædibus nostris excluserunt; in discipulos nostros manus iniecerunt, & alia similia præstiterunt. Sed cùm optimè intelligant, nos in causis realibus,& Iudices agnoscere, & tribunalia non declinare; ad maiorē tamen inuidiam conflandam, vtuntur æqui-

uocati-

fruges, ad maturitatem veniant, eas in herba demetere, vel potiùs vastare conculcareque volunt.

Neque dicant, translato Collegio, religionem cum aliis Sacerdotibus Torunij mansuram; quia reuera saltem integra non maneret, si (quod absit) illam ibi omnibus exercere non liceret. Tota autem iuuentutis institutio periret. Non me latet patronum quendam (si Deo placet) veritatis, conatum esse famoso edito libello, Torunienses defendere; sed tot mẽdacia confinxit, vt mirum sit, scientibus & volentibus Toruniensibus, viris alioqui prudentibus, patrocinium illud esse editum: sed quia eorum operâ, & in gratiam dicunt esse conceptum, coagmentatum, formatum, editum, vulgatum, varijs linguis donatum, & tanquam proprium reputatum; audeò affirmare, in controuersia quæ inter nos & illos intercedit, nil magis nobis fauere, quàm istud patrocinium. Nemo enim ignorat, nec Torunienses ignorare existimo, nihil magis obesse litiganti, quàm si documenta, quæ pro causæ firmamentis afferuntur, ilicò vt probata sunt, falsa, spuria, & suppostitia cognoscantur; vt accidit in hoc libello, cuius aliqua ostendimus falsa; vbi de Societatis diuitijs, seu auaritia egimus: & plura ostendemus, cùm de rebus Gallicis, Venetis, Anglicis, Transyluanicis, & Vngaricis agemus. Tanta enim nocendi voluntas in homine fuit, vt suscepti muneris defendendæ veritatis, oblitus, quæcunque mendacia, vel excogitare ipse, vel ab alijs emẽdicare potuit, omnia temere, & sine discrimine collegit, & in Societatem euomuit. Qua in re magnum præiudicium ipsis Toruniensibus fecit; nam cùm tot adulterenos partus supposuerit, verendum est, ne illud quoq; priuilegium, quod ad probandum ius alternatiuum, templi Parochialis, protulit, suppositium sit. Certè coniectura nõ deest grauis; nã cùm fuerit ita diligens in alijs narrationibus etiam fabulosis, in ea, quæ summi momenti erat, adeò negligens fuit, vt tempus, locum, Regem omiserit; sine quibus priuilegium perit. Cur autem hoc fecerit, (salua veritate) eã causam fuisse reor, quia in alijs mentiri non putauit periculosum.

   losum.

Iosum,at in hoc priuilegio supponendo,periculum erat, ne statim falsitas se proderet,auctoriq; omnem fidem adimeret; & reliqua omnia suspecta redderet; imò apertè falsa demonstraret. Sed piget tam diu cum homine veritati inimicissimo disputare. Illud Torunienses amicè moneo, vt caueant,ne dum nobis,quasi iniquis bonorum suorum possessoribus,litem intentant,Regis Maiestatem, Regni auctoritatem,Episcopi iura lædant.Nihil enim nos Torunij habemus;quod non Episcopi concessione, Regis voluntate, Regni decreto possideamus. Quare si iniquè domum Parochialem occupamus;Templo vtimur;Collegium & Scholas habemus iniqui necesse est sint illi,qui hæc dederunt nobis.Caueăt præterea,ne dum animo tam obfirmato, Scholas impedire, & Collegium amandare nituntur;aliquam vel contumaciæ, vel inobedientiæ notam incurrant; cùm toties à Rege, & à Regno moniti fuerint; vt nobis molestias inferre desinant. Potiùs animum ad æquitatem conuertant, & sibi de nobis, non solùm omnem modestiam; sed quicquid vel Christiana charitas poscit, vel religiosa vocatio permittit, promittant;sibique persuadeant,nos nihil, vt illis obsimus,tentaturos; sed vt prosimus, lapidem omnem moturos.

RIGA.

NIhilo æquiores sunt nobis Rigenses, quod eò magis doleo,quò amiciores eos opto. Hi quomodo nobiscum agant,norunt ipsi,id ego tacebo,ne videar dati & accepti rationes pares facere, & malum malo compensare velle. Quos enim in Christi visceribus diligo, saluosque cupio,eos non malè affectos,sed eiusdem Christi charitate cupio habere coniunctos. Quia tamen ipsi ad S.M.V.nos acerbè satis detulerunt; vt quasi cum alijs in nos impetum facientes, faciliùs vires frangerent,& prosternerent innocentes; idcirco quid mihi cum illis acciderit, operæ precium erit,simplici narratione V.S.M.repræsentare.

Quam Cùm igitur Collegium, quod Rigæ habemus, visitarem;

Burgra-

Burgrauius ciuitatis, qui & Proconsul erat, Syndicus, & alij nonnulli Senatores, viri verè spectabiles, & honestate atque doctrinâ præstantes, me conuenerunt; & præmissa publico nomine querimonia; de controuersijs, quas inter nos & ipsos intercedere asserebant, rogarunt, vehementerq; institerunt; vt paci inter Ciuitatem & Collegium consulerem; nostros cohiberem; amicè cum ciuibus differentias componerem. Commissarios quidem à S. R. M. esse decretos; nihilominus omnibus fore gratissimum, si sine strepitu forensi, nobis amicè cõueniret. Ego omnia ex sermone metitus, rem ad concordiam facilè adduci posse non dubitaui; idque mihi gratissimum fore significaui. Statuta igitur dies, qua coram vtraque pars iura & munimenta sua proferret; vtijs examinatis, quid iustum æquumuè visum fuisset, statui posset. Condicta die adfuerunt, omnia hinc inde prolata, & perpensa; iam illud restabat, vt quibus conditionibus rem transigere vellet, vtraque pars aperiret, tum ipsi tempus sibi prorogari petierunt, vt ad Senatum referrent, pleneque (vt aiunt) potentiam ad concordandum acciperent, quàm primum se redituros, negotiumque finituros, promittentes. Totos integros septem dies expectaui, tandem missus Notarius ciuitatis, (quasi mea tentata patientia fuisset) priùs an adhuc adessem, interrogauit; tum præmisso eleganti præambulo, nunciauit, Senatum quidem ad concordiam esse propensum; Ciuitatem verò eius ingenij esse, vt non facilè, cum ea transigi possit; occasiones eas esse captandas; tempus aucupandum; longiore mora opus esse; nolle me sat diu frustra detentum vlterius detinere; bonum iter precari. *Rigenses erga Iesuitas.*

Siccine hic est amor pacis? hoc desiderium concordiæ? spe frustratus dolui, & tantò magis dolui, quia videbam ob huiusmodi controuersias temporales, foueri graues animorum auersiones in plebe Rigensi; quæ prout illi proponitur, credit, nos ciuitatis iura violare, cùm nihil magis abhorreamus, quàm vt illi iniuriam afferamus. Cùm ergo

aduerterem lites temporales, impedimento esse rebus spiritualibus,& religiosis ministerijs;non solũ cõpositionis cogitationem non deposui,sed illam modis omnibus promouere statui. Quare, cùm *Illustrissimus Liuoniæ Generalis Commissarius* Liuoniam reuiseret,illum rogaui;vt si fieri posset, suâ auctoritate,controuersias inter nos & Rigenses, etiam cum Collegij detrimento,componeret; siquidem nullum magis detrimentum censeo,quàm cùm eorum animi, quibuscum viuimus,à nobis sunt diuisi.Promisit ille. Verũ cùm in Lithuaniam redijsset,retulit; se quidem concordiæ tractationem aggredi voluisse;sed partem alteram, omnem tractationi aditum intercłusisse.Hæc cùm viderem, sicuti antea,sic & post, nostris mandaui;vt cõmissarios à S.V.M.designatos,ad expediendam commissionem solicitarent,fecerunt. Sed Rigenses causas prętexentes,tẽpus semper protraxêre;vt necesse fuerit pro veritate testificanda contra eos de dilatione protestari.Et nihilominus, viri tam graues & serij; nos apud V S. M.veluti discordiarum architectos,& decretæ commissionis elusores insimulare non dubitârunt. Sicuti Vilnæ,in proximè præterita Procerum Conuocatione; tanquam alienorum bonorum inuasores,& publicæ pacis turbatores, criminari à se alienum esse non censuerunt. Sed sicuti spero hanc Rigensium præoccupationẽ,apud S.M.V.nihil veritati præiudicaturam:sic Deus prouidit, vt in illo Procerum consessu, nobis nihil minùs cogitantibus,duo Illustrissimi,præcipuæq; auctoritatis viri,innocentiæ patrocinium susciperent;*supremi magni Ducatus Lithuaniæ Generalis atque Cancellarius*; quorum hic sic in eos accusationem retorsit; vt non nos eorum bona, sed ipsos nostra inuadere, & occupare demonstrârit; ille verò, quod ipsum nobis tribuebant,sibi,& S.M.V.tribuendum esse ostendit; cùm Sacræ M. V. iustissimum Decretum *de Calendario Romano in Liuonia* amplectendo; *deq; Estonicis prædicantibus Derpati* prohibendis fecerit; ipse verò Vicariam S.M.V. potestatem gerens,decretum executioni mandari curauerit.

Defensores Iesuitarum in Conuocatione Vilnen: à Rigensib. accusatorum.

Hîc petunt multi,cur,quæ à S.M.V.sanctè facta sunt, & ab

Illustris-

Illustrissimo Domino Generali legitimè executioni mandata, nobis tribuant Rigenses, sicuti Torunienses, quæ fiunt à Parocho, vrgentur ab Episcopo; scribuntur à V.S.M. nobis tribuere soliti sunt. Etsi neminem temere iudico, bonorum honorem saluum volo; duas tamen causas huius rei assignari posse, respondeo; quarum vtraque ab astutia serpentina, in politicorum officina elaborata est. Primò enim voluit populum decipere ostendendo decretum, reuera non à Regis voluntate, sed ex aliorum persuasione promanare; & quod consequens est, eundem populum ad resistendum incitare; cùm non Regiæ voluntati, sed aliorum machinationi se resistere arbitretur. Si enim populus crederet, illam esse iustam, & veram Principis sui voluntatem; non auderet refragari. Inuidiam ergo in Societatem iniquè deriuant; quod in Regem non audet, in eã euomunt; quia ab ea nihil mali sibi timent. Hac igitur ratione Regiam personam declinantes, Regia decreta quasi Societatis operâ, maledictis lacerant, atque contumelijs. Altera causa est, prorsus à Diabolo inuenta; vident hæreticorum Ministri, & alij hæresum propugnatores; si populus nobiscum amicè agat, & ex præiudicato animum auersum non habeat; facile mendacia, quæ de nobis quoad mores dicuntur, perspecturum; & paulatim doctrinam admissurum, atq; Catholicam religionem amplexurũ; ne igitur populus nobis afficiatur, imò semper magis ac magis auersetur, quæcunq; odiosa sunt, nobis tribuunt. Hinc tot scommata, tot libelli famosi, tot diabolicę inuẽtiones; ad decipiendã simplicẽ plebẽ, eamq; à nobis auertendã. Nolo iudicare, sed nõ auderẽ iurare aliquarũ ciuitatũ Senatores, hoc politiæ morbo nõ laborare; qui propterea neque in ciuilibus & terrestribus causis volunt nobiscum concordare; sed quotidie nouas occasiones litigandi exquirunt vt plebi persuadeant, nos eorum iura violare, priuilegia infringere, bonum publicum turbare; vt plebs hac falsa opinione imbuta, auertatur à nobis, & omnes occasio præcidatur, agendi cum ipsa, de vltimo fine beatæ vitæ, & necessario medio religionis veræ. Derpatum transeamus.

Cur Hæretici Regia mandata Iesuitis attribuunt.

DERPATUM.

Derpato hoc anno excedere iussi sunt illi Ministri, qui Estonica lingua Lutheri doctrinam, simplicem plebem docebant. Similiter nouum Calendarium ciues recipere sunt iussi. Statim clamor, has esse nostrorum artes. Derpatenses ad S. M. V. scribunt. Rigenses intercessionem addunt; hi suadent; illi se potiùs patriam relicturos asserunt, quàm vt sua, de religione priuilegia, violari patiantur. & ne S. M. V. impietatis aut periurij insimulare videantur, politico superius explicato artificio, culpam totam in Societatem conferunt, nostrosque optimis quibusque coloribus, vt agnoscantur, depingunt. Hîc non est opus confutatione, res ipsa loquitur. Decretum non à nobis cusum, sed à Rege profectum. Cur autem sit factum, quærant qui volunt, meum non est, secretum Regis scrutari, sed venerari; quanquam nullum hîc cernitur arcanum, res est manifesta. Derpatenses nullum pro lingua Estonica habent priuilegium: si quod habent pro Germanica habent, nullum ius suffragatur illis, quin potiùs tanquam illegitimi possessores, vsurpata consuetudine, spoliantur. Quo ad Calendarium, credo ego magna incommoda, quæ in ipsa ciuili vita, Calendarij diuersitatem consequuntur, sufficere; vt Princeps in sua ditione, idem ab omnibus iubeat seruari; maximè si ex altera parte pro ratione stet sola voluntas.

VILNA, & POSNANIA.

Vilnæ & Posnaniæ nonnulla acciderunt, quæ etsi malè facta, & publicæ quieti contraria, nobis displicent; tamen quia religionis intuitu, vel potiùs rapinæ, vt alij volunt, facta videntur; non desunt qui ea nobis tribuunt; non quidem quasi auctoribus; sed veluti ijs, ex quorum disciplina auctores prodierunt. De ijs longum disserere superfluû puto; nam satis nos defendunt inquisitiones factæ, quibus hactenus (vt sciam) nullus nostrorum discipulorum inuentus est

reus,

reus. Et esto inuentus esset, non video, quo iure id nobis crimini dari deberet, nisi omnes Parentes, omnes Dominos, omnes Magistratus, dixerim & Angelos custodes, damnemus; quorum vel filij, vel famuli, vel ciues, vel commendati, scelus aliquod commiserũt; cùm hi sub illorum cura, & quasi disciplina viuant. Tunc aliquid efficerent aduersarij, si nos huiusmodi dissolutiones, furta, rapinas, scelera, probasse vel nõ improbasse euincerent. Quod si acciderit aliquem, ad Collegium securitatis gratia confugisse, & Iudicibus non traditum esse; id non ex eo capite venit, quòd huiusmodi hominibus, quos detestamur, faueamus; sed quia immunitas loci religiosi id postulat; nec nos reprehẽdi debemus, si id præstamus, quod ipsi Reges & Principes iubent præstari, & ipsimet Magistratus prohibent violari.

LVBLINVM.

LVblini res ita se habuit; ante aliquot menses, occasione nescio qua, cæpit populus tumultuari: factio erat duplex, Catholica & acatholica. Concurritur ad arma; vtrimque augetur tumultuantium numerus. Patres Societatis ex Collegio accurrunt, in mediam turbam se conijciunt; hos repellunt, illos retinent; seditionem sedant. ex altera parte, omnes armis succincti, minas intentant, ferro litem dissoluere parati: sed malè cum illis actum esset, quia numero & conditione multis partibus erant inferiores. Ergo nostri tumultum, ab alijs excitatum, sedarunt; & nihilominus spargitur, eos tumultum excitasse; & nescio quæ alia, quæ à veritate longissimè absunt, tentasse. Verè magnũ præiudicium, quod tollit omne iudicium. Hæc de ijs, quæ in Regno quasi domestica nobis obijciuntur; de extraneis deinceps agendum erit.

DE

DE ACTIS CONTRA SOCIETATEM IN GALLIIS, *Venetijs, Transyluania, Hungara, Bohemia, Anglia: & primò quidem de Gallijs.*

Cap. X.

HAcenus præluſimus, iam grauiora aggredimur. Et quid cum Societate apud exteras nationes agatur, videbimus; perpendemuſque, an contra eam alibi decreta, in Polonia quoque ſint decernenda? Non enim deſunt, qui affirment; & ideo grauiſsima quæque alibi acta narrant; cauſaſque, id eſt, peccata, propter quæ facta ſunt atrociſsima fingunt. Sed abſit, vt Polonia omnes, omnium Regnorum leges admittat, omnes nationum mores imitetur. Viuat ipſa ijs legibus, quibus & Chriſto nata, & pietati educata, & ad æquitatem à maioribus eſt informata; & ſi quid ampliùs ad beatè viuendum deſiderat, id non temerè à quouis accipiat: ſed ex optimis quibuſque ea deligat, quibus & magis vnus regnator omnium Deus innoteſcat; & magnum in animos imperium religio ſuſcipiat; & fundamenta iuſtitiæ, quæ ſunt, nemini nocere, & communi vtilitate ſeruire ſtabiliantur. Quorſum hæc? vt intelligamus, non quicquid maleuolorum quorundam applauſu proponitur; illicò à ſapienti Senatu, à iuſto Principe, à bene inſtituta Republica eſſe recipiendum. Rem propiùs attingo.

Sunt REX Sereniſſime, qui, vt fidem ſibi contra nos concilient in domeſticis; extranea perpetuò habent in ore & calamo. *Chriſtianiſſimum Galliarum Regnum, ſapientiſſimam Venetorum Rempublicam,* & alias nationes optimè Societatem agnouiſſe, meritas pœnas exegiſſe, condemnaſſe, in exilium pepuliſſe. Ex quibus deinde colligunt ſcelera fuiſſe grauiſsima; quibus eluendis tot ſupplicia fuerint neceſſaria. Hinc doctrinas peſtilentes, atque mores pernicioſos eſſe patefactos. Hinc Regum neces, & Regnorum exitia nos prædicant eſſe machinatos; & ideò quæcunque alibi in nos facta fingunt, hîc fieri cupiunt; quia facinora, propter quæ facta ſunt, in nobis quaſi ſedem collocaſſe dicunt.

Et qui-

Et quidem quoad Gallias, de quibus hîc ago, attinet; illa duo attingam: à quibus, vt à capite, reliqua manant, *necem* atque *doctrinam*. Hæc enim sunt illa duo, quibus Anonymus supra nominatus, in patrocinio, seu, vt meliùs quidam scripsit, latrocinio, veritatis Societatem horrendè exagitandam suscepit; dum enim illam & doctrinâ hæreticam, & moribus truculentam probare contendit, omnium odium in eandem concitare satagit; & quia audio illum librum, multorum manibus teri, antidotum aliquod contra venenum ijs offerre constitui.

Vt autem veritas meliùs eluceat, quod ipse omnium potissimũ exagitat; ego primo loco assumo discutiendũ, miserum & tota æternitate deplorandum *Henrici Quarti Regis Christianissimi* casum; quem à nobis ipse sublatũ asserit; ego execrandam calumniam esse ostendo, & ad veritatem cognoscendam triplici via gradior, *Coniecturâ, Ratione, Testimonio.* Et quidem quoad primum, si in re vlla coniectare licet; Quis adeò mente captus est, vt credat in nos tantùm scelus cadere potuisse, vt cogitaremus de eo Rege tollendo, quo Societas nostra, vix habuit amantiorem? Quis ita ab omni sensu abalienatus erit, qui sibi persuadeat, Societatem pertæsam esse potuisse eius patroni, cui vix similem habuit in orbe Christiano? Quis enim illo in ornanda Societate promptior? quis in conferendis beneficijs liberalior? quis in nostra fama defendẽda acrior? quis in ijs omnibus, quæ ad nostram vel vtilitatem, vel dignitatem facerent, procurandis, vigilantior vnquam fuit, aut esse potuit? si verum est, qui beneficium inuenit, inuenisse catenas, quibus homines ligaret; quantis quamque varijs catenarum vinculis nos sibi *Henricus* deuinxit; qui tam multiplici beneficiorum genere, nos tam constanter complexus fuit? & erit qui existimet, homines adeò deuinctos posse quicquam aliud cogitare, quàm obsequium, quàm amorem, quã obseruantiã, quàm grati animi significationẽ? verè bellua crudelior ille sit necesse est, qui ex se alios fingens, tantam immanitatem in humano pectore dominari posse credat.

An Iesuitæ Henricũ IV. Gal. Regẽ occidiferint.

Henrici IV. in Societatem beneficia

Ait Anonymus, Regem non semper fuisse Societati amicum, olim eam grauissimè offendisse, venenum mansisse alta mente repostum. Verùm est, olim afflixit, turbauit, exagitauit: sed quod acceperat, quanto cum fœnore restituit? quot quantisue Collegiis, eandem Societatem auxit? quàm graui testimonio, Regia Maiestate dignissimo, defendit, promouit, ornauit, amplificauit?

Henricus IV. cor Iesuitis testamento legauit.

Sed accipe secundò innocentiæ nostræ rationem conuincentem. Tantoperè se à Societate amari, optimus Rex intellexit; vt nulla alia re, amori nostro, meliùs respondere se posse existimârit; quàm si fontem amoris, cor suum sui in nos amoris certissimum testimonium, apud nos loco pignoris, & amoris ergò sepeliendum commendaret. Vt qui Flexiæ in iisdē ædibus, in quibus ipse vel natus, vel etiam educatus fuerat, Collegium, Regia munificentia dignum, nobis extruxerat, ibidem secundùm nobilissimam sui partem, perpetuò nobiscum habitaret. Huic certè vltimæ, & constanti [illegible] egis voluntati, Regina obsequens, cor coniugis, vt ipse voluerat, nobis consignauit. Sed aliud cor omnium preciosissimum, &

Ludouicus XIII. Iesuitis in pietate educādus traditur.

vtroque, Regi, & Reginæ longè charissimum, restabat *Rex filius Ludouicus XIII.* & hunc quoque in iis, quæ ad pietatem spectant, consanguineorum Principum, præcipuorumque Regni Magistratuū consilio, atque consensu, Societati Regina tradidit educandum. Hæc sunt certissima veritatis testimonia, æterna nostræ innocentiæ munimenta. Si enim vel minima tanti flagitij in Societatem suspicio cadere potuisset, quomodo hæc facta fuissent? Quomodo prudentissima Regina, charissimum Regis filij pignus, illi eidem P. Cottono instituendum credidisset; quem Regis mariti parricidam, vt latrat Anonymus, suspicata esset? Quomodo *Ludouicus XIII. ipsius Henrici IV. filius dilectissimus*, parentis vestigiis insistens, Regio diplomate, magnificentissimo decreto, Societatem in Regno suo confirmasset, honestasset, amplificasset? Quomodo diploma illud ad perpetuam Societatis laudem, & ad delendam omnem, si qua restabat, Societatis maculam,

ad pu-

ad publicas Parlamenti tabulas relatum fuisset? Quomodo *sapientissimum Parlamentum*, scelerum vindex, & iustitiæ custos, tantum facinus ignorasset, & si non ignorasset, quomodo non omni suppliciorum genere, omnem posteritatem tanti sceleris conscium fecisset? scilicet hæc ignorauit Regina, ignorauit Rex, ignorârunt cognati Principes, ignorauit Parlamentum, ignorârunt Magistratus, ignorauit vrbs Parisiensis, ignorauit Regnum vniuersum. Non ignorauit nescio quis Talpa; quæ, vt nomine, sic caret & luce, & Torunij latitat in cauernis. *Parlamentum necis Regiæ nunquam Iesuitas insimulauit.*

Tertio loco testimonia profero, vti omni exceptione maiora; sic omni fide dignissima. Inprimis *Ludouicum XIII. Henrici IV filium, & Galliarum Regem Christianissimum*, qui post mortem paretis, Regio Diplomate, summa cum cōmendatione, Societatem ab omni criminis suspicione absolutam declarauit; variisque gratijs ac priuilegijs exornatam, in suo Regno stabiliuit. Non intellexit Rex Societatem fuisse parricidam; sed quod parens agnouerat, ipse quoque agnouit, eam Regno esse vtilem, tum populum docendo; tum iuuentutem instituendo; & propterea quam parens antea eiectam reuocauerat, eandem ipse confirmauit. Quæ confirmatio, & innocentiæ Societatis declaratio, adeò delet antiquam eiectionis notam, adeò obliterat omnem infamiæ memoriam; vt Societas non collo appensum funem infamiæ testem, (vt execrandus blasphemat Anonymi libellus) gestet; sed Regium testimonium, famæ restitutorem. & indicem gloriæ in fronte gerat. Diploma autem Regium, ad publicas tabulas, perpetuitatis ergò, relatum est huiusmodi. *Ludouici XIII. de innocentia Societatis testimonium.*

Ludouicus Dei gratia Galliæ & Nauarræ Rex.

Cum Henricus Magnus Dominus & Pater noster, in obsequij sui bonū, subditorūq; commodū, vtile, ac valde necessarium fore iudicasset Iesuitas in Regnū suum, terras, & dominia introducere, ac statuere: habito cum Principibus consan

 guineis

guineis nostris, præcipuisq́; Regni ministris maturo consilio; ex ipsorum iudicio, ac suo motu proprio, certa scientia, plena potestate, & auctoritate Regiâ, eidem Iesuitis edicto lato, Mense Septembri, Anni Millesimi, Sexcentesimi tertij, facultatem concessit redeundi, & habitandi in locis ac partibus præfato edicto contentis, alijsq́; postmodum literis suis concedendis; quo edicto in Regio nostro Parlamento Parisiensi registrato, secunda Ianuarij, anni Millesimi, Sexcentesimi quarti, præfatus Dominus & Pater noster, eisdem Iesuitis plurimas Regni huius Ciuitates inhabitandi, diuersisq́; facultatibus potestatem fecit; quod quidem summa cum subditorum nostrorum voluptate factum, & executioni mandatum est; qui in educatione filiorum suorum ad pietatem, iuncto bonarum literarum studeo, quicquid optare potuissent, assecuti sunt ac dicto Domino ac Patri nostro adeò probati sunt; VT IN IPSORVM MANVS PROPRIVM COR DEPONERE STATVERIT. *Quod quidem post eius obitum ipsis traditum, & in Flexianum templum delatum fuit. Ideo ne quis voluntatem nostram in dubium reuocare posset, ex certa scientia nostra, plena potestate, proprio motu, & auctoritate Regia, ob easdem rationes, quæ prædictum Dominum & Patrem nostrum permouerunt, quæq́; adhuc perseuerant,* PRÆSENTIBVS MANV NOSTRA SVBSCRIPTIS, *ex Iudicio dilectissimæ & honoratissimæ Reginæ regentis Matris nostræ consanguineorum nostrorum Principum, ac præcipuorum Regni nostri ministrorum, laudauimus, confirmauimus, & approbauimus, & ratam habuimus; laudamus, confirmamus, approbamus, & ratam habemus, præfatorum Iesuitarum in hoc Regnum nostrum, partes, terras, ac dominia nobis subdita admissionem. Ac quantum opus est, aut foret,* DENVO CONCESSIMVS, ET PERMISIMVS; CONCEDIMVS, ET PERMITTIMVS *ipsis posse degere ac inhabitare in quibus admissi sunt, aut in posterum admittuntur; obseruando ea, quæ in præhabito Mensis Septembris edicto, Anni Millesimi, Sexcentesimi tertij, continentur, alijsq́; literis, ac ordinibus, à prædicto Domino & Patre nostro factis, quibus placet nobis, ac volumus eos vti & gaudere, eadem ratione, quâ ante hac vsi sunt, ac modò vtuntur & gaudent. Præcipimus Consiliarijs nostris in curia Parlamenti Senescbalchis, cæterisq́; iustitiæ administris, quorum opera requiritur; quatenus has literas nostras, ac ijs Iesuitas integrè pacificè, ac perpetuò vti & gaudere curent; & ad id faciendum, & patiendum, quotquot expediet vijs, modisq́; omnibus debitis, ac rationalibus cogere, non obstantibus quibuscunque in contrarium literis.*

Hic tandem aperiant oculos aduersarij nostri, & locum dent veritati, seque hactenus vel turpiter deceptos, vel malignè mentitos, esse fateantur. Quod si testimonio Regio nonac-

non acquiescunt, nosque adhuc maledictis petunt, vt in ore duorum stet hoc veritatis verbum; alterum testimonium, illorum non ora solùm obstruens, sed etiam contundens, profero, & Regiæ Maiestati auctoritatem sacerdotalem adiungo; Diploma scilicet *Illustrissimi Henrici Gondij Parisiensis Episcopi*, qui post mortem *Henrici IV.* ad retundendas improbas eorū calumnias, qui cum nostro Anonymo *sederunt in concilio malignantium*, amplissimum de Societatis innocentia dedit testimonium, quod hîc ad verbum describo; vt appareat, qua scientia, vel consciētia aduersarij, vt Societatem crimine parricidij maculare possent, fœdissimis seipsos mendacijs polluere non vereantur.

Illustrissimi Ep: Parisiēsis de innocentia Societatis testimonium.

Henricus Gondius Parisiensis Episcopus, Consiliarius Regius.

Cùm post crudele in defuncti Regis personam, quem Deus absoluat, perpetratum parricidium, plurimi rumores, hac ciuitate Parisiensi in summum Patrum Societatis Iesu damnum, disseminati sint; nos eiusmodi Societatis honori ac famæ prouidere optantes, animaduerso quod non aliunde, quàm ex peruerso, atque inimico, aduersus dictos Patres animo, huiusmodi rumores processerint; omnibus quibus intererit, manifestamus præfatos rumores meras esse calumnias, & impostura, maliciosè contra ipsos conquisitas, & inuentas, in Catholicæ, Apostolicæ, & Romanæ religionis damnum; ATQVE PRÆDICTOS PATRES NON MODO PENITVS EIVSMODI CALVMNIIS IMMVNES ESSE, VERVM ETIAM IPSORVM SOCIETATEM, TVM PROPTER DOCTRINAM, CVM PROPTER PIAM VITAM, ECCLESIÆ DEI MAXIME VTILEM, ET HVIC REGNO VALDE PROFICVAM. *In quorum fidem, &c.*

Liceat hîc iterum accusatores nostros monere, vt oculos aperiãt, & veritatem luce meridiana clariorem aspiciant, tandemque aliquando, famam nostram proscindere desistant. Quòd si illi odio excæcati, hoc non percipiunt; alios moneo, ne eorum fraudulentis detractionibus aures præbeant; ne cæci à cæcis ducti, ijsdem quibus ipsi mendaciorum laqueis, irretiantur, inque iniquitatis profundum præcipites agantur.

At dicet aliquis, qui fortè Anonymum legit, si hæc vera

funt,si *Henricus IV.* tantopere Societatem dilexit; quomodo sibi ab illa timuit,vti *Duci de Sulli*,teste Anonymo significauit? An non manifestè vides, *Henrici* sensum atque verba ab Anonymo esse adulterata? Nunquam *Henricus* Societatem timuit,sed semper Anonymus mentitus fuit.Nam si timuisset,cur illam in Regnum reuocasset?cur in aula apud se homines ex ea habere voluisset? potiùs illos à se amandasset, potiùs Societatem è Regno pepulisset. Nunquam igitur *Henricus IV.* Societatem timuit,sed semper Anonymus mentitus fuit.

Iam verò Rex Serenissime, etsi quæ diximus , non solùm ostendunt causæ nostræ veritatem,sed etiam aduersarios falsitatis conuincunt;cùm *rectum*,inquiunt Philosophi,*sit sui ipsius index,& obliqui*:tamen ea est ipsorum natura, vt licet conscientiâ conuicti; tamen reticere nesciant, sed potiùs alios atque alios maledictorum cumulos, veritatis obruendæ causa coaceruent,vti fecit patronus veritatis, qui quicquid à viginti, vel triginta annis,hostes nostri, id est, Hæretici , in Anglia, Gallia,Germania,in nos euomuerunt, totum ipse lingua & calamo collegit;vt rursum noua aliqua virus acerbitate auctum,veluti mortiferum telum,in Societatem cōtorqueret; sed frustra laborauit:dudum enim contra venenum, antidotum parârunt viri doctissimi, & in Ecclesia Dei celeberrimi, *Cardinalis Bellarminus, Iacobus Gretserus, Ludouicus Richeomus, Petrus Cottonus, Andreas Eudæmon, Ioannes*,& alij:qui hæc omnia mendacia,verissimis Apologijs confutârunt; quos si Anonymus videre voluisset,se actum agere animaduertisset;hocq; labore,si is, quē se dicit,nobilis est,supersedisset.Grauiora, quæ ad hoc caput spectant seligam;nam omnia prosequi,& *stulto secundùm omnē suā stultitiam respondere*, immensi esset operis;neq; ego Apologiam texo,sed innocentiam nostram aperio.Vt igitur aduersarius homines Societatis parricidas , & Societatem Parricidarum matrem esse probet;multa profert testimonia, tum domestica,ab ipsa Societate petita,tum extranea vndique coaceruata.Illud autē non satis possum mirari, nulla proferri Polonica;cùm tamen fieri non potuerit,vt Societas cum stomacho, necc

Celebres Autores, qui pro Societate Apologias scripserunt.

nece & parricidijs pleno, quadraginta vel quinquaginta annis in Polonia manserit, sua omnia ministeria exercuerit; cũ omni hominum genere, gradu, & conditione, versata sit: & tamen ne vel minimum quidem huius veneni odorem exhalârit. Et si exhalauit, quî potuit fieri, vt ex tot, tamque multis, magnis, doctis, ac prudentibus viris, quibuscum Societas egit, nullus vel leuiter hoc odorari potuerit? Quis hîc non suspicetur aliquid subesse; & testes aliundè adductos, vel à Iudæis contra Christum corruptos; vel ab iniquitate contra Susannam deprauatos; vel ab Anonymo spuriè & suppositiè adulteratos. Ne tamen vlli iniuriam faciamus, testes admittamus, illos audiamus, eorum conditionem, fidem, auctoritatem examinemus.

Antesignanus est Anonymi nostri dux atque magister *Anticottonus*; is est famosus auctor, qui infami libro, nostri *Cottoni* famam doctrinã, conatus est euertere, falsisq; interpretationibus illam, tanquã blasphemam atq; diabolicã, depingere: sed maior est Cottoni lux, quàm vt tam tenui aranea possit obtenebrari. Quãta autẽ fides Anticottono habẽda sit, nõ decerno ego, sed *Parisiensis Magistratus* Decretũ profero, quod spero nõ reijcietur ab Anonymo, quandoquidẽ tanti res Gallicas facit, & tanto honore Magistratus illos prosequitur. Cũ igitur Magistratus ille Caluinianũ Bibliopolam, librum illũ Parisijs disseminantẽ, deprehendisset; auctorẽ autẽ habere nõ posset; seminatorem cœpit; mulctæq; honorariæ, exilijque damnauit; libellum autem publicâ auctoritate, publicè lacerari iussit; quòd malignus; quòd perniciosus; quòd ad turbas, seditionesq; concitandas, & quietem publicam perturbandam, compositus esset. *Sententiæ* autem *Magistratus Parisiensis verba*, ab Andrea Eudæmon Ioanne, in Anticottoni confutatione relata sunt huiusmodi.

Magistratus Parisien. in Bibliopolam vendentẽ famosũ libellum in Cottonem Iesuitam, animaduersio.

Ex Consilij Sententia, audito super hac causa Procuratore Regio, &c. Ioannes Antonius Ioualinus damnatus est, ipsumq. damnamus ad mulctam honorariam, foro faciendam ipso die fori, cùm forum agetur; vbi nudato præter indusium corpore, apertoq. capite flexis genibus, suspensa è collo reste, ac facem pondo duarum librarum manu gestans, alta voce, vt exaudiri possit renunciabat: Quod sceleste, & malitiosè, per diuersa huius vrbis loca proiecerit,

& ſparſerit folia, ſeu chartas impreſſas, extractas ex libro quodã PERNICIOSO, *&* MALIGNO, *qui* ANTICOTTONVS *inſcribitur, ad* TVRBANDAM QVIETEM PVBLICAM, EXCITANDAS TVRBAS; *&* SEDITIONEM, *in hac ciuitate* MOVENDAM COMPOSITIO, *quod fuſius habetur in inſtrumẽto litis: cuius facti petet à Deo, Rege, & Iuſtitia veniam. In ipſius autem præſentia, prædicta folia, ſeu chartæ frãgentur, & dilacerabuntur. Inhibemus autẽ illi, & interdicimus, ſub pœna capitis, ne ſimile quid committat in poſterum. Cæterum ad quinque integros annos, Regni Galliæ exilio illum mulctauimus, & mulctamus.*

Ecce quantus teſtis, reprobatus, condemnatus, mulctatus; quo tamen noſter Anonymus Magiſtro vtitur; cumq; veluti ducem, in hac calumniandæ Societatis via, pari paſſu ſequitur, ac propterea dignus, qui honoris gratia, cum ipſo reſtem è collo ſuſpenſam geſtet, imò & debitum ſibi patibuli thronum aſcendat.

Ex his veluti præmiſſis, infero primò: Si Anticottonus eſt reprobatus, pernicioſus, turbator pacis; ergo Cottonus contradictoriè illi oppoſitus, probus, ſalutaris, amans pacis erit. Infero ſecundò: Si Anticottonus eſt reprobatus, condemnatus, mulctatus; ergo eius imitator veritatis patronus, reprobandus, condemnãdus, mulctandus erit. Societas autem, quæ illi è diametro opponitur, erit approbanda, abſoluenda, præmijs afficienda.

Secundo loco producitur alter libellus famoſus, *de abdicatione Henrici III.* inſcriptus; non eo quidem nomine quod contra nos agat; ſed quia cùm praua doctrinam habeat, illum ex quodam ſigno, quod quale ſit, nõ dicunt, noſtrum opus eſſe inferunt; ſed iniquè partum non noſtrum nobis ſupponunt; ſpurius eſt, noſter non eſt. de quo aliud dico; quia cùm ſit Anticottoni germanus, & ſequẽti Apologiæ perſimilis; ea confutata, & ipſe confutatus erit. Interim tamen apparet, quã fide nobiſcum agant aduerſarij, qui cùm in nobis blaſphemas iniquitates reperire non poſſint; blaſphemant ipſi, vt ſuas deinde blaſphemias intolerabili fraude, nobis adſcribant.

Tertium

Tertium testimonium est, tertius liber famosus, inscriptus *Apologia pro Ioanne Castello*, seu quod idem est *Schatellio, & Patribus Societatis IESV*; scilicet. Ecce quanta fraus & militia. volunt hostes, non solùm Societatem infamare, sed etiam *Henricum IV.* ita concitare, vt restituendæ Societatis in Gallia consilium in æternum abijciat. ideò pestilentem librum scribunt, qui in fronte defensionem Societatis præ se ferat, è ventre mortiferum in Societatem virus eructet; fecerunt perinde ac si quis virginitatem prodere volens, librum in eam à Iouiniano scriptum, defensionem virginitatis inscriberet; vel alium ipse componeret, in quo omnes adulterandi artes edoceret, foris verò titulum tutelam virginitatis præ se ferentem apponeret. Non aliter noster patronus fecit, qui veritatem prodere volens, se veritatis patronum simulauit. Sed hoc est antiquum mendacium, ante plurimos annos à Societate detectum, de quo *Patres Galli in Apologia*, quam *Henrico Quarto* obtulerunt, grauissimè expostulârunt; *si vocentur*, inquiunt, *execrandi libri illi, qui nostro nomine malignè sunt publicati, nobisq; suppositi, & summa fraude titulo nostro prænotati, vt est ille de Schatellij parricidio; id nostra nihil refert: nam hactenus nullus nostrum fuit, qui vel titulum libri illius, nedum librum ipsum legerit. Huius rei veritas, tam est perspicua, vt tua etiam Maiestas nos suo testimonio, ab hoc crimine liberârit; intellexit enim & Regio animo publicè dixit: Nos non esse illius libri autores. Cur ergo propter librum illum, aduersarij nostri nos infamant, & tot conuicijs proscindunt?* Hæc *Patres Galli*, qui librum illum nō ex Societatis fonte manasse, sed ex odij lacuna, in nostrū nomē irrupisse, testimonio Regio comprobarunt. Cui autem standum sit, Reginæ, an fraudulentæ libelli inscriptioni, seu iniquæ Anonymi delationi; quiuis facilè potest iudicare. Quod paulò ante innuebam, cogor replicare. Aduersarij nostri, nos sceleris accusare cupiunt; sed cùm nihil in nobis reperiant, scelus ipsi committunt, proditiones laudant, seditiones concitant, parricidia docent, sus deque omnia miscent; tum demum nostrum nomen apponunt, & debitas illis pœnas nos luere volunt.

Summa aduersariorum S. I. iniquitas & impudentia.

Cap. 14.

Sed ecce dum hos partus, tanquam spurios, à nobis reijci

mus, alios atque alios ſupponunt. Quartum enim teſtimonium profert Anonymus, *Reinaldum* ſub nomine *Gulielmi Roſſei*, quem è Societate eſſe dicit, & doctrinam eius carpit. Quid ille dicat, ignoro, hoc vnum ſcio, illum non eſſe inter noſtros ſcriptores; & doctrinam, quàm illi affingit, non eſſe noſtram; ſed hæc eſt ars Anonymi, qui quicquid in auctoribus reperit, quod nobis incommodare poſsit, vt nobis noceat, hominem noſtrum eſſe clamat; ſicuti & *Sanderum*, virum quidem pium & doctum, non tamen noſtrum; vt inuidiam augeat, noſtrum eſſe prædicat. Sed fortè ignorantia illum excuſat, at malitia accuſat.

Parricidæ Henrici IV. nunquā Ieſuitas cōplices facti, vel conſultores ſuos fecerūt.

Quinto proferunt in mediū ipſoſmet parricidas *Petrum Barriere, Ioannem Caſtellum, Franciſcum Rauaillac*, quos faſſos eſſe aſſerunt, ſe à Patribus Societatis ad aggrediēdum *Henricum IV.* eſſe edoctos, atq; animatos. Magna hominum impudentia, quæ tantùm audeat; ſed maior Dei patientia, quæ illos ſuſtineat. De *Barriere* illud dicam, cùm ille rumor Pariſijs ſparſus eſſet; ipſe *Rex Henricus IV.* veritatis defendendæ gratia publicè coram Magiſtratibus, & Regni Principibus viris, teſtatus eſt, ſibi conſtare neminem è Societate illius criminis reum fuiſſe, & nominatim *Varadæum*, virum verè innocentem, quem Anonymus accuſat, innocentiſſimum pronunciauit.

Quoad *Caſtellum*, pro nobis contra aduerſarios ſtant tria fortiſſima propugnacula, *Acta Pariſienſia, Hiſtoria facti, & teſtimonium illius, cuius res agebatur, Henrici Regis IV.* Primò enim in *proceſſu Caſtelli* nihil intactum reliquerunt, vel Iudices, vel Inſtigatores, quo poſſent cognoſcere, an illius conſilij vllus è Societate conſcius fuiſſet, & ne vmbram quidem potuerunt inuenire. Deinde Rex ipſe, cùm Societatem à calumnijs vindicaret, apertiſſimè teſtatus eſt, ex *Caſtello* nihil vnquam cruciatibus, aut tormentis extorqueri potuiſſe, quod vel minimum derogaret Societati. Denique idem confirmat Hiſtoria, Anno 1595. Auguſtæ Vindelicorum impreſſa. *Schatelius*, inquit, (eo enim nomine Caſtellum appellat) *extremo ſupplicio affectus eſt; cui*

primò

primò manus dextra resciſſa, dein admotis forcipibus candentibus femori, & toris brachiorum excruciatus; demum quatuor equis, in diuerſa agitatis, fruſtratim diſcerptus. Priuſquam tamen id fieret, augendi terroris, & acuendi doloris cauſa, equi incitati, in primo impetu, ſubitò inhibiti ſunt; ita vt omnium compages membrorum, cum fragore cruciarentur; quod iteratum eſt; interea eum quidam allocuti ſunt, vt fateretur, quiſnam conſcius, quis auctor, quis ſuaſor fuiſſet: at ille ſæpius elata clariſſima voce, vt ab omnibus commode exaudiri potuerit, exclamauit nullum mortalium ſibi vllum incitamentum, aut conſilium ad hoc dediſſe, ſeq; nemini vnquam, hac de re ſuam mentem aperuiſſe, ſcire ſe, ſin aliud dicat fore, vt iam iam tartara tanquam mendaciſſimum exciperent; in cuius ſententiæ repetitione ab equis diſcerptus, & mortuus eſt. Ecce confeſſio Caſtelli, ex qua etiam cæcus videt, non Societatem parricidij, ſed Anonymum intolerandi mendacij eſſe damnatum. At inquit ille, Caſtellus fuit Guereti diſcipulus: fateor, ſed & Iudas Chriſti; ergo Chriſtus parricidij Iudæ condemnandus.

Ad Franciſcum Rauaillac quod attinet, tantùm abeſt, vt quicquam contra Societatem falſus fuerit, vt ſemper conſtantiſſimè, illam animi conſilijué ſui conſciam fuiſſe negauerit; & ne minima quidem ſuſpicionis vmbra, hac de re, apud vllum vnquam fuerit; quod ſupra ſatis apertè demonſtraui: cùm teſtimonium, de hoc innocentiæ punctò à *Regina, à Parlamento, ab vrbe Pariſienſi, ab vniuerſo Galliarum Regno* deſumpſi. Qua enim ratione, hæc duo poſſunt conſiſtere? Societatem de *Henrici IV.* parricidio, publicè iuris proceſſu, teſtium confeſſione conuinci; & tamen eodem prorſus tempore, calente etiam tum parricidio, eidem, ipſius *Henrici* cor amoris ergò tradi: *Ludouicum filium* ſpem gentis, hæredem Regni, orbitatis ſolatium, à ſapientiſſima *Regina* erudiendum crediſſe? *Rege* in Regno confirmari? Parlamentum ne verbum quidem dicere, Regnum vniuerſum ſilere, Regem & Epiſcopum contrarium teſtari? Nimis euidens eſt, hanc eſſe calumniam; ſed ea eſt aduerſariorum pertinacia, vt Societatem,

omnibus omnium votis ac ſententijs,abſolutam, ipſi velint condemnare.

Hactenus pugna eminus fuit,iam cominus pugnare aggreditur;aduerſarius enim ex ipſa Societate, ſexto loco profert, *Ioannem Gueretum,& Ioannem Guinardum*,illum parricidij inquit conuictum,hunc etiam morte mulctatum.

Gueretus Iesuita captus, tortusq́, liber dimiſſus innocens. De Guereti innocentia nullum reſtat dubium ; cùm enim propterea captus fuiſſet, quia Caſtellum in Philoſophia diſcipulum habuiſſet (nulla enim alia de ipſo ſuſpicio fuit) adeò tormentis cruciatus fuit,vt teſte *Hiſtoria Auguſtana*, ſuperiùs citata,omni vitæ ſeſu deſtitueretur,vi doloris exanimaretur;& animam inter pœnas efflaſſe putaretur. Præterea cùm quicunque vel ipſius diſcipuli fuiſſe, vel cum eo peccata expiaſſe deprehendebantur,diligenter examinarentur, an vnquam ex illo quidquam,quod parricidium ſaperet, audiuiſſent;nihil autem vel ipſe faſſus,vel ab vllo delatus fuiſſet;tandem innocens iudicatus,liber dimiſſus fuit;quod minimè accidiſſet,ſi vel ſuſpectus,ne dicam reus,inuentus fuiſſet.Quod idem de Alexandro Haio,de Prouinciali,de Rectore,& reliquis omnibus affirmare licet.

Guinardus autem tanquam Theologus, ſcriptum libellum apud ſe habuit,propter quem captus, & damnatus fuit; at neque vllus vnquam contra ipſum teſtimonium reddidit, & ipſemet mortem obiturus,teſtatus eſt,ſe nulli vnquam nocuiſſe,nulli illas doctrinas communicaſſe. Illæ autem quinque propoſitiones,cum reliquis quas accuſator illi affingit, apud Guinardum non ſunt inuentæ, ſed ad explendam nocendi libidinem ab ipſomet excogitatæ. Et quamuis affirmare liceat,tempora magis,quàm crimina Guinardum condemnaſſe;tamen liquidò falſum eſt,nos illum in noſtrorum martyrum Cathalogum, vt ſuo more fingit Anonymus retuliſſe. Quod quiuis videre poteſt, cùm Cathalogus ille ſiue pictus,ſiue ſcriptus vulgò ab omnibus habeatur.

Demum ne in ſingulis enumerandis,tempus fruſtra conteramus,omnes quotquot in Societate ſunt, aduerſarij de-

creto, parricidæ ſunt,*Campiani,Cottoni,Becani,Sa*, innumeri alij.
Quia verò ipſe in hac pugna, quam cum Societate ſuſcepit
Gallias quaſi ſedem belli delegit; & ex ijs quæ ibi acta ſunt,o-
mnia ferè argumenta deſumit; ego quoq; in Gallijs pugnan-
dum cenſeo,& Gallos Gallis oppono, vnoque ictu omnes
mendaciorum acies proſterno.

Prodeat ergo in Campum,partes noſtras defenſurus, ipſe
omni genere ornamentorum florentiſſimus,veritatis amo-
re præclariſſimus, is quem toties patronum aſſumpſimus,
Henricus Quartus Rex Christianiſſimus, & ſua in ſuo Regno auctori-
tate,omnium ora obturet;& vti alias ſæpè,ſic in præſenti ma-
ledicorum audaciam compeſcat.Is ergo, cùm Societatem è
pluribus Regni locis,eiectam meminiſſet, ſæpeque ea de re
ſecum ipſe cogitaret,religione ſibi inicta, de ea reſtituenda
conſilia agitare cœpit.Verùm cùm multa,& multos obſtare
videret,longiſsimam octo nouemuè annorum deliberatio-
nem habuit;quo tempore,quàm curioſiſsimè potuit, Socie-
tatis mores,doctrinam, conditiones omnes peruestigauit,
& tandem explorata vitæ,doctrinæque integritate,eam reſti-
tuit.Cùm autem anno 1603.ipſo Naſcentis Domini perugi- *Poſſeuin. T.4.Sac.*
lio,ad conuocatos Præſides,atque Senatum, de reſtitutione *Apparet.*
retuliſſet,audiuiſſetque, quæ à viris, potentia & eloquentia
ſummis,in contrarium opponebantur:ipſe Societatis patro-
cinium ſuſcepit, & ſapientia tanto Rege digna,non ſolùm
omnia ei obiecta feliciſsimè diſſoluit; ſed conſtantiſsimè et-
iam reſtitutionem perſuaſit.Ex multis, quæ Rex ſummus ſui
Regni iudex protulit, illam partem,quæ ad calumniam, in *Teſtimoniũ Henrici IV, de moribus Soc. & numero Scholaſticorũ eiuſdẽ in Gallijs.*
præſenti controuerſia de parricidio nobis obiectam, confu-
tandam, plurimum valet, accipio,& veritatis ſtudioſis pon-
derandam trado,*Nec*,inquit Rex ſapientiſsimus, *vnquam inuen-
tus eſt,qui à Societatis hominibus necem Regum didicerit. quare totum hoc,quod
illis obÿcitur,vaniſsimum eſt.Triginta & amplius anni effluxêre, cùm in Gallia
iuuentutem excolit,centumq; Scholaſticorum millia ex eorum Collegÿs aut ſtu-
dia abſoluerunt,aut ad ea, quæ Iuriſprudentia ſiue Medicina ſunt, acceſſerunt.
Anne;iſtorum aliquis id ſe didiciſſe & vel audiuiſſe ab ÿs faſſus eſt?* Hæc Henricus

 IV. Non

17. Non in angulo aliquo, non leuiter agendo, non cum aliquibus infimæ notæ hominibus; sed in Regia luce, coram summis Regni Magistratibus, de sua, & Regni sui salute, seriò grauiterque differendo atque decernendo.

Iam quæro, cui maior fides habenda sit, Reginę, qui quid Societas in Gallia, quid in Anglia, quid in Germania, quid vbique terrarum agat, optimè nouit; qui è Regio pectore veritatem promit, suam, populique vtilitatem quærit; & ne erret, priùs omnia diligentissimè expendit, & denique accusationes diluit, *Senatui, Præsidibus, Regno* facit satis? An illi, qui omnis honestatis expers, omnis veritatis hostis, lucis osor, tenebrarum cultor, nihil nisi virus odij exhalat? Hanc Regiam Societatis defensionem habet *Antonius Possevinus*, rerum Gallicarum peritissimus, 2. *Sacri apparatus Tomo*: cui si addas testimonia & diplomata, *Ludouici XIII. Henrici Gondij Episcopi*, & alia superiùs citata, haud scio quid ampliùs desiderari possit, ad euidentem innocentiæ Societatis manifestationem; de qua cùm satis multa dixerimus, tempus monet, vt tandē ad id, in quo tantoperè debacchantur aduersarij, veniamus ad doctrinam *Marianæ Parisijs* damnatam.

Doctrina Marianæ de necādis Tyrānis, nil contra Societatem facit.

Qua in re illud primum pono, contra Societatem nihil esse actum; nam illam eandem doctrinam, quam antea improbārat Societas, Parlamentum improbauit; quòd non in Societatem, sed in dissentientem à Societate actionem instituit; in quo Parlamentū imitatione dignū censeo, quod enim malū cēsuit, damnauit; reliqua nō attigit, Societati pepercit. Quod non faciunt aduersarij, qui si nævū in digito reperirent, illicò totum corpus putidum, totum secandum, nulli parti parcendum conclamarent. Nihil ego de illa doctrina (neque enim ad rem meam facit) disputo; illud vnum, non esse doctrinam Societatis, (quod tantoperè vrgent aduersarij) ostendo. Nam vt vna doctrina sit vnius Ordinis propria, necesse est, vt illam vel vniuersè omnes illius Ordinis Doctores profiteantur, vel profiteri ab Ordinis Præside iubeantur. at neutrum in hoc, de quo disputamus, argumēto reperitur, imò contrarium de-

mon-

monſtratur. Nam quo ad Auctores, ideo aduerſarius multos, imò omnes, cum *Mariana* in eadem ſerie collocauit; quia vel illos non legit, vel certè non intellexit, vel quod verius eſt, adulterauit. vbi enim propoſitione quarta *Martinus Becanus*, *Emanuel Sa*, & alij diſertis verbis dicunt, *non licere*, ipſe veritatis corruptor, *licere*, interpretatur. quo eodem modo *Martyris Campiani* verba corrupit; vbi enim *Campianus ſe & ſocios, ſtudium & conſilia de ſalute Angliæ non intermiſſuros*, ait: ipſe pro *ſalute, euerſionem* Regni facit. Quis vnquam luculentiùs mentitus fuit? Clamant cōtra ipſum, omnes ad vnū noſtri Scriptores, & falſitatis nō accuſant ſolùm; ſed & conuincunt; qui votis & ſtylo ſemper Principes ac Reges venerari, eorum vitam ac Regna, veræ doctrinæ ſatellitio ſtipare, atque tutari ſummis viribus contenderunt, & Concilio Conſtantiēſi in contrarium nitentes condemnanti, firmiter adhæſerunt. Clamant, inquam, hi omnes, & ſibi ſcriptisq; ſuis ab Anonymo vim inferri, clamant.

Ioannes Azorius,	Inſtit: Mor: p. 2. l. ij. cap: 4. q. 10.
Gregorius de Valentia,	T. 3. in S. Th. q. 8. de Iuſt. puncto. 3. § Sed circa.
Ludouicus Molina,	De Inſt. T. 4. Tr. 3. diſp. 6. §. Quod verò ad 2.
Iacobus Gretſerus,	In Stygmate Miſſænico.
Leonardus Leßius.	L. 2. de Iuſt. C. 9. dub: 4.
Martinus Becanus,	In Reſp. ad Aphor: Calu.
Petrus Cottonus,	Libello ſuo.
Ludouicus Richeomus.	In expoſtul: ad Henr: IV. num: 114.
Sebaſtianus Heyßius,	In Confeſſ: Aphor. cap: 3. ad prim: Aphor.
Nicolaus Serarius,	In Cap: 3. Iudicum.
Emanuel Sa,	In Aphor: V. Tyrannus. num. 2.
Martinus del Rio,	In Herculem fur. Sen: n. 920.
Andreas Eudæmon Ioannes,	In confutat: Anticot. pro Garneto, & in Parallelo Torti & Tort.
Franciſcus Suarez,	D. F.

Societatis doctrina, de nō occidēdis, ſed tolerandis Regibus, etiam diſcolis.

DVO CARDINALES.

Toletus, &	In Sum. l. 5. c. 6. num. 10.
Bellarminus,	
& vniuerſæ Societati noſtræ. ſumma veneratione colēdus,	In Apol. ad præf. monitoriam c. 13.

Alphon-

iv. Non in angulo aliquo, non leuiter agendo, non cum aliquibus infimæ notæ hominibus; sed in Regia luce, coram summis Regni Magistratibus, de sua, & Regni sui salute, seriò grauiterque differendo atque decernendo.

Iam quæro, cui maior fides habenda sit, Reginè, qui quid Societas in Gallia, quid in Anglia, quid in Germania, quid vbique terrarum agat, optimè nouit; qui è Regio pectore veritatem promit, suam, populique vtilitatem quærit; & ne erret, prius omnia diligentissimè expendit, & denique accusationes diluit, *Senatui, Præsidibus, Regno* facit satis? An illi, qui omnis honestatis expers, omnis veritatis hostis, lucis osor, tenebrarum cultor, nihil nisi virus odij exhalat? Hanc Regiam Societatis defensionem habet *Antonius Possevinus*, rerum Gallicarum peritissimus, 2. *Sacri apparatus Tomo*: cui si addas testimonia & diplomata, *Ludouici XIII. Henrici Gondij Episcopi*, & alia superiùs citata, haud scio quid ampliùs desiderari possit, ad euidentem innocentiæ Societatis manifestationem; de qua cùm satis multa dixerimus, tempus monet, vt tandè ad id, in quo tantoperè debacchantur aduersarij, veniamus ad doctrinam *Marianæ Parisiis* damnatam.

Doctrina Marianæ de necādis Tyrānis, nil contra Societatem facit. Qua in re illud primùm pono, contra Societatem nihil esse actum; nam illam eandem doctrinam, quam antea improbârat Societas, Parlamentum improbauit; quòd non in Societatem, sed in dissentientem à Societate actionem instituit; in quo Parlamentū imitatione dignū censeo, quod enim malū cēsuit, damnauit; reliqua nō attigit, Societati pepercit. Quod non faciunt aduersarij, qui si næuū in digito reperirent, illicò totum corpus putidum, totum secandum, nulli parti parcendum conclamarent. Nihil ego de illa doctrina (neque enim ad rem meam facit) disputo; illud vnum, non esse doctrinam Societatis, (quod tantoperè vrgent aduersarij) ostendo. Nam vt vna doctrina sit vnius Ordinis propria, necesse est, vt illam vel vniuersè omnes illius Ordinis Doctores profiteantur, vel profiteri ab Ordinis Præside iubeantur. at neutrum in hoc, de quo disputamus, argumēto reperitur, imò contrarium demon-

monſtratur. Nam quo ad Auctores, ideo aduerſarius multos, imò omnes, cum *Mariana* in eadem ſerie collocauit; quia vel illos non legit, vel certè non intellexit, vel quod verius eſt, adulterauit. vbi enim propoſitione quarta *Martinus Becanus, Emanuel Sa*, & alij diſertis verbis dicunt, *non licere*, ipſe veritatis corruptor, *licere*, interpretatur. quo eodem modo *Martyris Campiani* verba corrupit; vbi enim *Campianus ſe & ſocios, ſtudium & conſilia de ſalute Angliæ non intermiſſuros*, ait: ipſe pro *ſalute, euerſionem* Regni facit. Quis vnquam luculentiùs mentitus fuit? Clamant cótra ipſum, omnes ad vnū noſtri Scriptores, & falſitatis nō accuſant ſolùm; ſed & conuincunt; qui votis & ſtylo ſemper Principes ac Reges venerari, eorum vitam ac Regna, veræ doctrinæ ſatellitio ſtipare, atque tutari ſummis viribus contenderunt, & Concilio Conſtantienſi in contrarium nitentes condemnanti, firmiter adhæſerunt. Clamant, inquam, hi omnes, & ſibi ſcriptisq; ſuis ab Anonymo vim inferri, clamant.

Ioannes Azorius,	Inſtit: Mor: p. 2. l. ij, cap: 4. q. 10.	*Societa-*
Gregorius de Valentia,	T. 3. in S. Th. q. 8. de Iuſt. puncto. 3. § Sed circa.	*tis doctri-*
Ludouicus Molina,		*na, de nō*
Iacobus Gretſerus,	De Iuſt. T. 4. Tr. 3. diſp. 6. §. Quod verò ad 2.	*occidēdis,*
Leonardus Leßius.	In Stygmate Miſſænico.	*ſed tole-*
Martinus Becanus,	L. 2. de Iuſt. C. 9. dub: 4.	*randis*
Petrus Cottonus,	In Reſp. ad Aphor: Calu.	*Regibus,*
Ludouicus Richeomus.	Libello ſuo.	*etiam di-*
Sebaſtianus Heyßius,	In expoſtul: ad Henr: IV. num: 114.	*ſcolis.*
Nicolaus Serarius,	In Confeſſ: Aphor. cap: 3. ad prim: Aphor.	
Emanuel Sa,	In Cap: 3. Iudicum.	
Martinus del Rio,	In Aphor: V. Tyrannus. num. 2.	
Andreas Eudæmon Ioannes,	In Herculem fur. Sen: n. 920.	
Franciſcus Suarez,	In confutat: Anticot. pro Garneto, & in Parallelo Torti & Tort.	
	D. F.	

DVO CARDINALES.

Toletus, &	In Sum. l. 5. c. 6. num. 10.
Bellarminus,	
& vniuerſæ Societati noſtræ, ſumma veneratione colēdus,	In Apol. ad præf. monitoriam c. 13.

Alphon

Alphonsus Salmeron, è primis decem fundatoribus nostris vnus, & propter excellentē doctrinam in Concilio Tridentino Romani Pontificis Theologus. In C. 17. ad Rom. disp. 5. §. Ideo promitten.

Claudius Aquauiua Præpositus Generalis Societatis in decreto, & denique Societas vniuersa.

Hi omnes & Constantiensi Concilio inhærent, & Reges non solùm bonos, sed etiam discolos, tanquam Christi vnctos, acerrimè defendunt; atque de iniuria, quod illis aliud, quàm quod ipsi docuerunt, ab Anonymo tribuatur, grauiter expostulant. Quos si aduersarius legisset, & disertè in terminis certis & claris, quod ipse affirmat, eos negare vidisset, fortè à calumnijs atq; contumelijs supersedisset; & si illum in auctoribus voluendis laborare pigebat, poterat illos omnes apud *Andream Eudæmon-Ioannem* in confutatione Anticottoni, eorum verba & sententias, summa breuitate & claritate referentem, vno quasi intuitu videre; vel certè ipsi *Eudæmon-Ioanni, & Iacobo Gretsero* doctissimis, & acerrimo iudicio viris, credere, qui illam Marianæ sententiam, illi vni auctori propriam, à Societate verò alienissimam esse testantur. Quanquam hic mitto maledicta & mendacia, quibus Anonymus illam, in maiorem, quàm veritas ferat, inuidiam vocat, & ad hæreses, aliosque pessimos, & nunquam à vero religioso, censuræ Ecclesiasticæ humiliter subiecto, excogitatos sensus, violenter rapit; illumque non Tyrannorum solùm, sed etiam Regum, iniquissimè parricidā facit; hæc inquam mitto, quia hoc non ago, & id quod probare cœpi, argumento inuincibili confirmo. Nam statim atque Societatis *Præpositus Generalis*, de omnibus Principibus Christianis optimè meritus, librum illum editum intellexit, doluit, & præuisis incommodis obuiam iuit. Decretum enim fecit, quo nostris omnibus, eam doctrinam seuerissimè interdixit; tum ne vllus illam sequeretur, tum vt mundus agnosceret, quid ea de re Societas sentiret. Ego sanè de decreto monitus, vt in *Austria, Bohemia Styria, Vngaria*, vbi eram Prouincialis, sanctè (sicuti iubebar) seruaretur, effeci.

Neque

Neque causæ nostræ obest, illum librum cum facultate Prouincialis, vel Visitatoris, seu etiam Præpositi Generalis, esse editum; hoc enim non probat, doctrinam in eo contentam, Ordini toti esse communem vel probatam; sed tantùm arguit illos, qui opus reuiderunt, illud non indignum luce iudicasse; non autem vel ipsos in specie de doctrina ad superiores retulisse, vel superiores illam doctrinam approbasse; sed solùm vt quod reuisoribus edi posse videbatur, vt ederetur, concessisse. At verò, vt vna sententia Ordini communis sit, requiritur, vt illam omnes sequi cogantur; vt ergo appareat, quid Societas teneat, & calumnijs nullus relinquatur locus, *Præpositi Generalis* decretum ad verbum hîc describo; est autem huiusmodi.

Claudius Aquauiua, Præpositus Generalis Societatis IESV.

Quandoquidem Societatis Scriptoribus, ac Theologis qui docent, cæterisq; omnibus operarijs, haud satis est peruidere, quod in aliorum scriptorum libris reperitur: sed illud etiam est apprimè considerandum, sintnè opiniones validis nixæ fundamentis, tutæ, probatæ, scandalis, aut alijs incommodis minimè obnoxiæ. Ideo sanè iustissimas ob causas, quæ ad hoc consilij nos impellunt, præsenti Decreto, præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ, sub pœna excommunicationis, & inhabilitatis ad quæuis officia, suspensionis à Diuinis, & alijs arbitrio nostro reseruatis; ne quis deinceps nostræ Societatis religiosus, publicè aut priuatim prælegendo, seu consulendo, multò etiam minùs libros conscribendo, affirmare præsumat, licitum esse cuicunque personæ, quocunque prætextu Tyrannidis, Reges aut Principes occidere, seu mortem eis machinari. Ne videlicet isto prætextu, ad perniciem Principum aperiatur via, atque ad turbandam pacem, eorumué securitatem in dubium vocandam, quos potiùs ex diuino mandato revereri, atque obseruare oporteat, tanquam personas sacras, à Domino Deo pro felici populorum gubernatione, in eo gradu constitutas. Prouinciales autem, qui aliquid horum resciuerint, nec emendârint, aut non præuenerint huiusmodi incommoda, efficiendo vt hoc Decretum sanctè obseruetur, volumus eos non modò prædictas pœnas incurrere, sed etiam officio priuari: vt sic omnes intelligant, quis sit ea de re Societatis sensus, neque priuati vnius error, suspectam reddat Societatem vniuersam, quanquam apud æquos rerum æstimatores certum sit, partis vnius aut membri culpam, toti corpori reliquo attribui iure non debere.

Decretū Generalis S.I. contra doctrinam de occisione Tyrannorū.

Conferat iam noster accusator *Decretum Præpositi Generalis* nostri, cum *Decretis Concilij Constantiensis*, atque *Toletani*, & semel quem profitetur se patronum veritatis se præbeat; ipsam veritatem aspiciat, & videat, an Societas Concilijs repugnet, hæreses doceat, Regum neces machinetur; an potiùs ipse plura mendacia, quàm verba proferat; & crimen suum, & sui similium, alijs supponat: nam vt semel conceptus sermo erumpat: *Non sunt hæ Societatis assertiones, sed hæreticorum abominationes*, contra enim hæreticos, orbem vniuersum perturbantes, edita sunt illa Conciliorum decreta, vt cuicunque Conciliorum acta legenti, luce clarius apparebit. Sed tandem rebus Gallicis finem imponamus, & ad alia progrediamur.

DE VENETIS.

Cap. XI.

VIX vllum argumentum est, in quo Societatis aduersarij magis triumphare videantur, quàm quod ipsa è Venetorum ditione ablegata est; & sicuti illam Rempublicam sapientissimam prædicant: sic omnibus imitandam præponũt. Ego verò vt in omnibus Venetos imitentur Poloni, nec meritò laudari, nec vtiliter optari posse censeo: etsi profiteor Venetijs plurima esse, imitatione dignissima; vtpote piè decreta, iustè ordinata, prudenter constituta. Potiùs imitandam Societatem iudico, vt quoties in deliberationem venit, vtrum Deo, & Vicario eius, obediendum sit, an alteri potestati parendum? illam partem eligamus, quam Apostolos elegisse non ignoramus. Ergo si quis in huiusmodi discrimen incidat, vt vel acerbissimas pœnas ferre, vel cœlo, & honestati, nuncium remittere debeat, viriliter agat: & vestigia ab innumeris, ijsque laudatissimis, tam antiquæ, quàm nouæ legis viris, pressa, constanter ipse quoque premat; Christumque audiat dicentem: *Quid prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?*

Ex his quod quærebam, colligo; imitandam potiùs Societatem,

etate,quæ patriam relinquere,& in exilium ire maluit;quàm obedientiam *Christi Vicario* debitam violare, innocentiæque suæ puritatem commaculare. Neque puto vllum hoc negaturum;nisi is sit,qui *innocentiæ Susannæ* causam,accusatorum illius causa,sanctiorem esse neget; hosque præ illa imitandos affirmet. Nam fingas quæcunque, & quantacunque fingere ars fingendi docet;nunquam aliam causam, nostri è ditione Veneta exilij reperies,quàm hanc vnam, videlicet nos Pontificio violato iure,vti ipsi volebant,manere noluisse. Et ipsimet *Veneti* si interrogentur,quia ingenui sunt,& veritatis magis amantes,quàm aduersarij;nihil aliud,quàm quod dixi,respondebunt. Sanè qui nos reprehendunt, quod *Christi Vicario*, cui & lege,& voto obstricti sumus fidem,seruemus,idem faciunt;ac si militem Polonum vituperarent, qui iuratam Regno,ac Regi fidem,cum ipso vitæ discrimine,inuiolatam seruasset:illum verò laudarent,qui ignauo timore perculsus, & omnis honestatis oblitus,fidem violaret; Principe proderet; commissam suæ fidei arcem,hosti traderet; cùm tamen nihil gloriosius,quàm in acie honestè mori;nihil inglorius magis, quàm ignauia,& proditione notari. Spero ego,sicuti *Galliarum Rex* eiectam è Gallijs Societatem reuocauit, & plura pietatis officia Societas post reditum, quàm ante illi Regno præstitit; sic fore, vt sapientissima illa Respublica mouentis Dei inspirationem admittat,Societatem reuocet, & plura quàm ante obsequia ex nostris ministerijs percipiat. Ad alia propẽremus.

Cur Iesuitæ ex ditione Venetorum discesserint.

DE TRANSYLVANIA.

Cap. XII.

Societas sæpius in Transyluania afflicta ab Hæreticis.

AD Transyluaniam venio, quæ sæpius nobis obijci solet; nullibi enim in Europa, contra Societatem frequentiores excitatæ sunt tragædiæ; quàm in hac Prouincia, dissensionum, & quod inde sequitur calamitatum feracissima. Auertat Deus, vt Regnum

Poloniæ, quod florentissimum opto, vnquam Transyluanica lue corripiatur; Ecclesiasticum ordinem inuadat; religionem Catholicam premat, ab ouili Christi, non canes solùm, sed & Pastores amoueat, & quod peius est, in exilium pellat, vti in Transyluania tragicè factum esse constat. Nam dum vel *Stephanus Rex*, vel eius *frater Christophorus*, vel *Christophori filius Sigismundus*, ac *Andreas* nepos Cardinalis, & deniq; *Maiestas Cæsarea*, Principes Catholici, ad Transyluaniæ clauum sederũt; floruit religio; floruit Ecclesia; floruit Regnũ; floruit & Societas nostra doctrinæ laude, nobilium institutione, populi obseruantia, Principũ gratia, innocentiæ existimatione. At cùm ex Arrij, Caluini, Lutheri, Heluetiorũ schola prodierunt, qui Rempublicam gubernarent, vti *Sigismundi tutores*, *Moyses*, *Bockaij*, *Rakocij*, *Gabrieles*, statim ordo Ecclesiasticus opprimi, Religio exulare, Societas solum vertere, populus affligi, Regnum vastari, cœperunt: vt Societatis causa cum religionis libertate, ordinis Ecclesiastici incolumitate, populi salute, Regni felicitate coniunctissima videretur. Non fabulas narro, nec falsa fingo; ea quibus interfui, & quorum pars non minima fui, expono.

Prima Soc. persecutio sub Sigismundo Bathori adolescente Catholico.

Christophoro Principe, Stephanoq́; Rege mortuis, *Sigismundus Bathoreus* successit; qui cùm ob immaturam ætatem, regendæ Prouinciæ impar esset; Magistratus qui regeret, totus hæreticus, constitutus fuit: qui cùm postea gubernationem *Sigismundo*, qui vix pueritiã excesserat, resignare deberet; id non prius fecit, quàm vt è Regno Societas pelleretur, consentiret; consensit ille quidem ægrè, consensit tamen; sed memor auitæ pietatis, & commẽdationis tum Patrui Regis, tũ Principis Patris; statim atq; se in Regno pedem fixum habere sensit, Societatem ad antiquas sedes reuocauit; nouisq; censibus ac ornamentis auxit, Ordini etiam Ecclesiastico splendorem restituit: qui verò Sigismundum, vt Societatem dimitteret, coegerunt, malè perierunt; nam primarius illicò interijt; secundarius caput amisit; & plerique miserè vitam finierunt. Sed ecce dum omnia fæ-

stra feliciter suum cursum tenent, politicæ turbæ intercedunt; iterum opprimitur religio. Nam postquam Sigismundus Transyluaniam Cæsari resignasset, & *Michael VVayvvoda* interfectus fuisset; contra Cæsarem Transyluani insurrexerunt; cumque ipso de Regno certarunt, religionem autem possum dederunt.

Secunda sub Moyse Arriano.

Primus fuit Moyses, natione Hungarus, patria Siculus, religione Arrianus, qui Turcicis, Scythicisq; copijs instructus, Transyluaniã occupauit. Hic me oculato teste, vt faciliùs rerum potiretur, cùm *Claudiopolitanis* conuenit, vt ipsi ciuitatem dederent, ipse potestatem faceret illis, Collegium Societatis diripiendi, vastãdi, excidendi, Patres ipsos eijciẽdi, raptãdi, mactandi. Omnia momento facta; Ciuitas tradita, Collegium direptum, Templum dirutum; Gymnasium Regio opere extructum, vastatum; Patres partim pulsi, partim vulnerati, partim trucidati; nec alij Sacerdotes, qui tunc Claudiopoli erant, immunes ab iniurijs dimissi. Hæc placent aduersarijs; quæ ita execrabantur *Turcæ*, vt *Czausius*, qui Bassæ Temisuariensis, ad Moysem, interpres erat, mihi obiecerit; hoc vel vnico argumento probari, Christianos Turcis esse deteriores; quod templa Deo dicata vastarent; personas sacras tangere auderent; quod nunquam apud Turcas visum affirmabat; & si voluissem ire *Constantinopolim*, apud suam gentem, maiorem securitatem, quàm apud hæreticos; maioremq; humanitatẽ, promittebat. Dedecus Christianorũ est, inter eos reperiri, qui ipsis Turcis detestabilia, vt præclarè gesta, laudẽt; & imitatione digna existiment. Hic fuit primus Tragediæ actus, vltimum intueamur.

Czaus Turcius hæreticorũ impietatem detestatus.

Peccatum non dissimulauit Deus; nam totus non abijt Mensis, cùm *Moyses* miserrimè interijt, & interitu suo totam Transyluaniã funestauit; quia vniuersum Nobilitatis florẽ, miserãdo suo casu oppressit. Ille autẽ ciuis Claudiopolitanus, qui Iudex Regius erat, & præcipuus ciuitatis tradẽdæ, & Collegij vastandi auctor fuerat; ignominiosè è patibulo pependit. Societas autem à Cęsaris Commissarijs restituta, à ciuibus

Dei vindicta in Moyse Arriano.

 honori

honorificè reducta fuit. Quæ non ob aliud crimen erat eiecta, nisi quia Catholica erat; & Catholicam religionem promouebat; quod ne in posterum fieret, *Claudiopolitani* non tam in nos, quã in Templum, Collegiũ, & seminarium, sæuiebant; omnia enim solo æquabant; vt necesse fuerit, illos, nobis reuertentibus, tradere templum Parochiale, cum reliquis ad Parochiam pertinentibus, quæ ipsi occupabant. Hæc de Moyse.

Tertia Soc: persecutio sub Bockai, hæresi Heluetio. Alter fuit STEPHANVS BOCKAI, patria Hungarus, secta Heluetius. Helueticam enim hæresim illum profiteri, ex quadam ipsius confessione, quæ circumferebatur; intellexi. Hic tanto odio religionem Catholicam prosequebatur; vt se in Transyluania, quam conspiratione in Cæsarem facta, occuparat; non prius dominari posse crederet; quàm Catholicos oppressisset. à Societate autem incœpit; nam cùm in ciuitate *Mediensi* Comitia haberentur, vt coram toto Regno actio de nobis eijciendis institueretur, effecit. Arrianorum igitur, Caluinianorumque Superintendentes acerrimè illam aggressi sunt; easque ferè machinas, quibus alibi peti solet, adhibuerunt. multa etiam ex suo capite exprompserunt; illudque, fauente Principe, effecerunt; vt decretum de pellenda Societate conderetur. Aderam ego *Mediensi*, & de re tota certior factus ab amicis, postero die, plenum omnium Ordinum consessum accessi; inauditum non esse condemnandum ostendi; vt me meam causam defendentem audirent, petij: æquitati locus datus, & auditus fui. Tantã, Deo propitio, Societatis innocentiam esse ostendi; adeò falsa & ficta quæcunq; in nos coniecta erant, demonstraui; vt aduersarij, qui me absente, tam confidenter famam nostram lacerârant; me præsente, & prouocante, ne mutire quidem sint ausi; sed sese ex hominum conspectu proripuerint, absconderintque; quos fortè imitarentur multi, si aperto quidem, sed æquo marte liceret congredi; non autem cuniculis veritatem oppugnare.

Sed ad Proceres redeamus; quorum animi ita sunt mutati, vt facti

vt facti decreti eos pœniteret;eo igitur lacerato,Societas suo loco stetit: neq; defuerunt, qui ex maioribus subsellijs spondèrent,se in posterum nunquam Societati oblocuturos. Res acerba quidem,& insperata *Bockaio* accidit; sed cùm aliud non posset,dissimulauit;donec alia occasione,non iure munitus, sed vi armatus,Societatem è Regno,reclamante iustitiâ; reclamantibusque bonis,eiecit.

Sed neque diu illum tolerauit Deus, vix ex Hungaria pedem extuleram,cùm ipse à suis miserrimè, vti ferebatur, veneno sublatus fuit.Non diutius *Bockai*, post nostram è Regno eiectionem regnauit,quàm *Moyses*, postquam Claudiopoli eiecerat,superuixit: vt pari peccato, parem pœnam inflixisse videatur Deus. Neque enim alio nomine nos eiecit *Bockaius*, nisi quia Catholicam religionem, eo tempore in Transyluania,ceruicibus nostris sustinebamus; & cùm me in Hungariam euocasset,nullam aliam causam, cur nos dimitteret,reddidit;nisi quia hoc hæretici, quibus ipse morem gerere volebat,expetebant.Digna Principe vox,scilicet. *Vindex scelerum Bockai Deus.*

Tertius BOCKAIO successit, SIGISMVNDVS RAKOCIVS Hungarus, hæresi vel Caluinista, vel Caluino Lutheranus,qui cùm in Principem adscitus fuisset, à *Matthia, tunc Archiduce,nunc Augustissimo Romanorum Imperatore*, clementer requisitus fuit; vt Societatem,per iniuriam dimissam, restitueret.Pro qua re,cum ad ipsum venissem, etsi omnia tanquam æqua,& iustitiæ consona pollicebatur; rem tamen ad Comitia referendam, respondit. Cùm igitur *Comitia Claudiopoli* haberentur,ne ego admitterer in ciuitatem, diu aduersarij restiterunt,& lapidibus se negotiū expedituros,protestati sunt.Verùm tandem ob *Cæsaris* reuerentiam, me admiserunt. Causam eodem, adiuuante Deo, egi; vt æquitas nostra,aduersæ partis iniquitas, innotesceret omnibus; nec vllus fuerit, qui vel verbum in contrarium protulerit. Ea erat vis non orationis, sed veritatis.Cùm igitur aduersarij viderent,se ratione nihil efficere posse;victoriam à nobis stare,aliam viam inierūt;clamoribus omnia implere,furere,tumultuari *Quarta sub Rakocij Caluinista.*

tuari

tuari cœperunt, & facto impetu Societatem proscripserunt, bonisque, quod inprimis auara Principis cupiditas quærebat, spoliarunt. Et ne vlli dubium esset, Societatem propter solam religionem, è Transyluania esse pulsam; & Regnum articulo hac de re conscripto, & Princeps testimonio, manu, & sigillo suo munito, testatum fecit. Articulus enim, quo è Transyluania excedere iussi sumus, ex Hungarico in Latinum sermonem conuersus, sic ad verbum habet.

DE RELIGIONE SIC DELIBERAVIMVS, VT IVXTA ARTICVLOS ANTEA EDITOS, OMNES IN SVA RELIGIONE, SINE IMPEDIMENTO CONSERVENTVR; SED SOCIETAS IESV EDITIONE ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS EXCEDAT. Hæc Comitiorum Articulus. Testimonium autem Principis, vt idem magis eluceat, de verbo ad verbum hic describemus, & est huiusmodi.

Principis Transyluania Caluinista, de innocentia S.I. testimoniũ.

Nos Sigismundus Rakocij, Dei gratia Princeps Transyluaniæ, partium Regni Hungariæ Dominus, & Siculorum Comes, &c.

Significamus tenore præsentium, quibus expedit, vniuersis, quòd cùm superioribus diebus, R.D. Ioannes Argẽtus Societatis IESV, antea in Trãsyluania Prouincialis, in hoc Regnũ Transyluaniæ, eam ob causam venisset; vt à nobis, & subditis nostris, in dicto Regno nostro Transyluaniæ, & partibus Hungariæ, ditioni nostræ subiectis, impetraret, in priora residẽtiæ suæ loca, olim à D. STEPHANO Rege Poloniæ, Magno Duce Lithuaniæ, ac Principe, ac tunc memorati Regni Transyluaniæ, fundata, simul cum reliquis Patribus, ac Magistris eiusOrdinis, regredi liceret; eam rem in Comitijs Generalibus Claudiopoli, ad decimam diem Mensis Iunij, præsenti anno celebratis, diu multumq; agitatam; numero & multitudine Catholici ab aduersarijs eorum superati, consequi non potuerunt. Vnde nos præsentibus nostris testificamur, eosdem PATRES Societatis IESV, vt bonos, & morum integritate graues viros, ex suis Collegijs, bonisq; non ob vllum delictum, aut notæ alicuius vitium; *verùm ad instantiam* Romanæ & Catholicæ fidei, contrariam opinionem sequentium, *esse deturbatos, exclusosq; & in alia loca demigrare coactos: prout testificamur harum nostrarum vigore, & testimonio literarum mediante. Dat. in ciuitate nostra Colosuar, die 26. Iunij Anno 1607.*

SIGISMVNDVS RAKOCII m.p.

Quis

Quis iam asserere audeat, Societatem ob aliam causam, quàm ob religionem Catholicam è Transyluania esse exclusam; cùm lex exclusionis aliam non afferat, & Princeps hanc vnam fuisse affirmet, quia heretici numero Catholicos superant. Cæterùm Patres à probitate, grauitate, & morum integritate, homo hæreticus laudet. Nec verbo solùm, re etiam ipsa, hoc testatus est Princeps; quia Patres, qui tunc mecum erant, in suam tutelam suscepit; ijsque religionem Catholicam profiteri, & exercere liberum esse voluit; imò & in gratiam Catholicæ vxoris, vnum ipse dum in Transyluania fuit, aluit.

Vt autem omnia melius pateant, describam hîc *Protestationē*, quam tunc contra Articulum, contra nos editum, Catholici fecerunt, & est huiusmodi.

Protestatio Catholicorū Transyluaniæ, contra decretū de eiciēda Soc. ab hæreticis factum.

Nos subscripti, in vnitate fidei Catholicæ Romanæ Ecclesiæ, consentientes, Regni Transyluaniæ, partiumq; eidem adnexarum, tum incolæ, tum in eadem, ijsdemq; possessionati, ad vniuersorum tam præsentium, quàm futurorum, notitiam, harum serie, volumus peruenire. Quòd nobis vnà cum alijs sectarijs, puta Lutheranis, Caluinistis, Arrianis, alijsque priuatæ opinionis assertoribus; non definiendæ religionis, vel ad exterminationem Societatis IESV; verùm pro tractandis alijs, cū priuatis, tum publicis Regni negotijs, huc Claudiopolim ad Generalem Dietam congregatis; cùm R. P. Ioannes Argentus, eiusdem Societatis Sacerdos, & in hac Transyluania vice Prouincialis, qui non tam pridem à Serenissimo Principe Stephano Bockai, proprio arbitrio, absque Regnicolarum consensu, violenter è bonis proprijs, & stabilibus residentijs, cùm socijs alijs, eiectus fuerat; defendendæ propriæ innocentiæ causa, & interuenientibus etiam commendatitijs, Serenissimi Principis, & Domini D. Matthiæ Archiducis Austriæ, &c. iuxta mentem Sacratissimæ Maiestatis Cæsareæ emanatis, coram statibus, & vniuersis Ordinibus huius Regni, in templo Arrianorum ad longum auditus fuisset; suiq; aduentus causam, innocentiam, doctrinæ veritatem, morum integritatem abundè demonstrando, iustitiam implorasset, & si qui essent, qui his contrarium tum rationibus, tum veris testibus docerent, prodire flagitasset; idipsum nos omnes Catholici ab aduersarijs, contra Patres Societatis, tantùm mutua conspiratione vnitis, postulassemus; quod videlicet in dicta causa, nullis testibus conuicti; è proprijs sedibus, & bonis; Patres Societatis, non modò non exturbarentur; verùm contra omnem æquitatem, à Serenissimo Stephano Bockai eiecti, suis locis, iuribus, & liberis Catholicæ religionis exercitijs restituerentur. Vbi aduersarij se causam de-

 speratam

speratam tueri, nec rationibus, aut æquitate, quicquam se consequi posse animaduertissent; obstinata pertinacia, & tumultuario clamore, in id consensissent, vt Patres Societatis ex hac Prouincia penitus eliminarent; cui sententiæ vti contra æquitatem, & communem iustitiam, quæ sua cuiq; reddi, nec quenquam inauditum, non conuictum, non sententiatum damnari suo iure postulat, subscribere haud potuimus. Verùm omnium nostrum nomine, tam præsentium, quàm absentium Catholicorum, fratrum nostrorum, successorumq; nostrorũ, de hac indigna, inaudita, iuribusq; Regni contraria sententia, in publica Dieta, tã corã vniuersis contrarijs statibus, & Ordinibus Regni, quàm coram ipsomet moderno Principe nostro, Illustrißimo Domino Sigismundo Rakocij, adiunctisq; consiliarijs eiusdem, solemniter protestati, eidem contradiximus; nunquam huic sententiæ, Patrumq; Societatis Iesu electioni, bonorum, iuriumq; eorundem ablationi, consentire volentes; si quidem à pijs legitimisq; huius Regni Principibus fundationes suas, Priuilegia sua, cõfirmationesue habeãt; neq; alicuius vel leuißimi criminis, cur ea de iure amittere potuissent, vnquam conuicti fuissent: prout contradicimus, præsentium per vigorem. Datum Claudiopoli, 20. Iunij. Anno Domini, 1607.

Franciscus Daroczy de Deregnyeo, Sacræ Cæsareæ & Regiæ Maiestatis Consiliarius.

Balthasar Kornis Consiliarius Illustrissimi Principis.

Balthasar Syluasi, Consiliarius Illustrissimi Principis.

Lucas Traussner Kolusuarius de Hadreno, Illustrissimi Principis Transyluaniæ Consiliarius, & in sede Iudiciaria præsidens.

Sigismundus Kornis de Ruska.

Benedictus Mindzenti, Comes Comitatus Dobok.

Sigismundus Sarmasaghi, Comes Comitatus Thordensis.

Pancratius Sennei. Stephanus Huszar.

Petrus Banffi de Losoncz. Ioannes Kalnaki.

Clemens Beldi. Blasius Kamuty.

Gregorius Bornemissa, Iuris vtriusque Doctor, & sedis Iudiciariæ Illustrissimi Principis assessor.

Paulus Foro sedis Iudiciariæ assessor.

Simon Lody. Paulus Koncz.

Ladislaus Kraynik. Georgius Nagy.

Melchior Beteniey.

Hæc Protestatio prius solemniter fuit facta, in publico omnium

mnium Ordinum confessu; tum corã Principe & Senatu eius vniuerso; demum ad perpetuam rei memoriam, innocentiæ nostræ testificationem, & iuris nostri conseruatione, scripta ac singulorum manu, & sigillo, subscripta atque signata.

Vltimus *Rakocij* successor fuit Gabriel Bathoreus; qui à Catholica religione, in qua à Patruo *Cardinali*, & à nobis educatus erat, ad Caluinianorum sectam transierit. Hic bellum non Societati, sed religioni cruentum indixit; Nobiles Catholicos oppressit; Sacerdotes nullibi consistere permisit. Vnde & nostri, & alij, vel pulsi fuerunt, vel fuga sibi consuluerũt. Quã autem misere infælix perierit, id potius cõmiseratione prosequendum est, quàm narratione. Nunc alter imperat *Gabriel*; qui cùm & ipse sit hæresi infectus, facilè quiuis diuinare potest, quem successum sit habiturus; illud innuisse sufficit, cum adeò Turcis esse addictum, vt etiam Machometi, maxima ex argento candelabra, pro munere misisse dicatur, & potiùs cum Turcis, quàm cum Christianis fœdus habere velit.

Gabrielis Betlem Transyluania Principis in Machometẽ deuotio.

Ex his omnibus constat, Societatem nunquam è Transyluania, nisi propter fidem esse dimissam. Cùm enim aduersarij viderent, opposita iuxta se posita, nimis elucescere; nimisuè quid inter nostram, & ipsorum doctrinam, inter nostros & ipsorum mores interesset, declarare; ad vim confugerunt: & iustitiâ honestateque contempta, innocentes oppresserunt.

Quantis autem calamitatibus, sacrilegè peccantem Transyluaniam punierit Deus, horret animus cogitare; ex sexcentis inauditis casibus, vnum profero, cui similem, oculum mortalem vidisse, non puto. Vir Illustris, & fide dignus, Sigismundus Sarmosagius, dum iter faceret; in quodam deserto pago, puerum octo vel nouem annos natum inuenit, sedentem cum canibus, propè cadauer humanum; cuius caput, pedes, & manus erãt integrè, reliquum corpus exossatũ erat, & consumptum. Interrogatus puer, cuius caput illud fuisset;

Horrendum exemplum.

Poloniæ,quod florentifsimum opto, vnquam Transyluanica luce corripiatur; Ecclefiafticum ordinem inuadat; religionem Catholicam premat,ab ouili Chrifti,non canes folum, fed & Paftores amoueat,& quod peius eft, in exilium pellat, vti in Tranfyluania tragicè factum effe conftat. Nam dum vel *Stephanus Rex*,vel eius *frater Chriftophorus*, vel *Chriftophori filius Sigifmundus*, ac *Andreas* nepos Cardinalis,& deniq; *Maieftas Cæfarea*, Principes Catholici,ad Tranfyluaniæ clauum federūt,floruit religio,floruit Ecclefia, floruit Regnū,floruit & Societas noftra doctrinæ laude, nobilium inftitutione, populi obferuantia, Principū gratia,innocentiæ exiftimatione.At cùm ex Arrij, Caluini,Lutheri,Heluetiorū fchola prodierunt,qui Rempublicam gubernarent, vti *Sigifmundi tutores*, *Moyfes,Bockaij*, *Rakocij*, *Gabrieles*,ftatim ordo Ecclefiafticus opprimi, Religio exulare; Societas folum vertere,populus affligi, Regnum vaftari,cœperunt:vt Societatis caufa cum religionis libertate, ordinis Ecclefiaftici incolumitate , populi falute, Regni felicitate coniunctiffima videretur. Non fabulas narro, nec falfa fingo; ea quibus interfui, & quorum pars non minima fui , expono.

Prima Soc.perfecutio. fub Sigifmundo Bathori adolefcente Catholico. *Chriftophoro Principe, Stephanoq; Rege* mortuis,*Sigifmundus Bathoreus* fucceffit; qui cùm ob immaturam ætatem, regendæ Prouinciæ impar effet,Magiftratus qui regeret,totus hæreticus,conftitutus fuit:qui cùm poftea gubernationem *Sigifmundo*, qui vix pueritiā exceſſerat,refignare deberet ; id non prius fecit, quàm vt è Regno Societas pelleretur,confentiret; confenfit ille quidem ægrè,confenfit tamen; fed memor auitæ pietatis, & commēdationis tum Patrui Regis,tū Principis Patris,ftatim atq; fe in Regno pedem fixum habere fenfit, Societatem ad antiquas fedes reuocauit,nouifq; cenfibus ac ornamentis auxit, Ordini etiam Ecclefiaftico fplendorem reftituit:qui verò Sigifmundum,vt Societatem dimitteret,coegerunt, malè perierunt; nam primarius illicò interijt,fecundarius caput amifit ; & plerique miferè vitam finierunt.Sed ecce dum omnia fæ-

stra fæliciter ſuum curſum tenent, politicæ turbę intercedunt; iterum opprimitur religio. Nam poſtquam Sigiſmundus Tranſyluaniam Cæſari reſignaſſet, & *Michael VVayvvoda* interfectus fuiſſet; contra Cæſarem Tranſyluani inſurrexerunt; cumque ipſo de Regno certarunt; religionem autem poſſum dederunt.

Primus fuit Moyſes, natione Hungarus, patria Siculus, religione Arrianus, qui Turcicis, Scythicisq́; copijs inſtructus, Tranſyluaniā occupauit. Hîc me oculato teſte, vt faciliùs rerum potiretur, cùm *Claudiopolitanis* conuenit, vt ipſi ciuitatem dederent; ipſe poteſtatem faceret illis, Collegium Societatis diripiendi, vaſtādi, excidendi, Patres ipſos eijciēdi, raptādi, mactandi. Omnia momento facta; Ciuitas tradita, Collegium direptum, Templum dirutum; Gymnaſium Regio opere extructum, vaſtatum; Patres partim pulſi, partim vulnerati, partim trucidati; nec alij Sacerdotes, qui tunc Claudiopoli erant, immunes ab iniurijs dimiſſi. Hæc placent aduerſarijs; quæ ita execrabantur *Turcæ*, vt *Czauſius*, qui Baſſæ Temiſuarienſis, ad Moyſem, interpres erat, mihi obiecerit; hoc vel vnico argumento probari, Chriſtianos Turcis eſſe deteriores; quod templa Deo dicata vaſtarent; perſonas ſacras tangere auderent; quod nunquam apud Turcas viſum affirmabat; & ſi voluiſſem ire *Conſtantinopolim*, apud ſuam gentem, maiorem ſecuritatem, quàm apud hęreticos; maioremq́; humanitatē, promittebat. Dedecus Chriſtianorū eſt, inter eos reperiri, qui ipſis Turcis deteſtabilia, vt præclarè geſta, laudēt; & imitatione digna exiſtiment. Hîc fuit primus Tragediæ actus, vltimum intueamur.

Secunda ſub Moyſe Arriano.

Czaus Turcius hæreticorū impietatem deteſtatur.

Peccatum non diſſimulauit Deus; nam totus non abijt Menſis, cùm *Moyſes* miſerrimè interijt, & interitu ſuo totam Tranſyluaniā funeſtauit; quia vniuerſum Nobilitatis florē, miſerādo ſuo caſu oppreſſit. Ille autē ciuis Claudiopolitanus, qui Iudex Regius erat; & præcipuus ciuitatis tradēdæ, & Collegij vaſtandi auctor fuerat; ignominioſè è patibulo pependit. Societas autem à Cęſaris Commiſſarijs reſtituta; à ciuibus

Dei vindicta in Moyſe Arriano.

honorificè reducta fuit. Quæ non ob aliud crimen erat eiecta, nisi quia Catholica erat; & Catholicam religionem promouebat; quod ne in posterum fieret, *Claudiopolitani* non tam in nos, quā in Templum, Collegiū, & seminarium, sæuiebant; omnia enim solo æquabant; vt necesse fuerit, illos, nobis reuertentibus, tradere templum Parochiale, cum reliquis ad Parochiam pertinentibus, quæ ipsi occupabant. Hæc de Moyse.

Tertia Soc: persecutio sub Bockai, hæresi Heluetio. Alter fuit STEPHANVS BOCKAI, patria Hungarus, secta Heluetius. Helueticam enim hæresim illum profiteri, ex quadam ipsius confessione, quæ circumferebatur; intellexi. Hic tanto odio religionem Catholicam prosequebatur; vt se in Transyluania, quam conspiratione in Cæsarem facta, occupârat; non prius dominari posse crederet; quàm Catholicos oppressisset. à Societate autem incœpit; nam cùm in ciuitate *Mediensi* Comitia haberentur, vt coram toto Regno actio de nobis eijciendis institueretur, effecit. Arrianorum igitur, Caluinianorumque Superintendentes acerrimè illam aggressi sunt; easque ferè machinas, quibus alibi peti solet, adhibuerunt. multa etiam ex suo capite exprompserunt; illudque, fauente Principe, effecerunt; vt decretum de pellenda Societate conderetur. Aderam ego *Mediensi*, & de re tota certior factus ab amicis, postero die, plenum omnium Ordinum consessum accessi; inauditum non esse condemnandum ostendi; vt me meam causam defendentem audirent, petij: æquitati locus datus, & auditus fui. Tantā, Deo propitio, Societatis innocentiam esse ostendi; adeò falsa & ficta quæcunq; in nos conıecta erant, demonstraui; vt aduersarij, qui me absente, tam confidenter famam nostram lacerârant, me præsente, & prouocante, ne mutire quidem sint ausi; sed sese ex hominum conspectu proripuerint, abscondderintque; quos fortè imitarentur multi, si aperto quidem, sed æquo marte liceret congredi; non autem cuniculis veritatem oppugnare.

Sed ad Proceres redeamus; quorum animi ita sunt mutati, vt facti

vt facti decreti eos pœniteret; eo igitur lacerato, Societas suo loco stetit: neq; defuerunt, qui ex maioribus subsellijs sponderent, se in posterum nunquam Societati oblocuturos. Res acerba quidem, & insperata *Bockaio* accidit; sed cùm aliud non posset, dissimulauit; donec alia occasione, non iure munitus, sed vi armatus, Societatem è Regno, reclamante iustitiâ; reclamantibusque bonis, eiecit.

Sed neque diu illum tolerauit Deus, vix ex Hungaria pedem extuleram, cùm ipse à suis miserrimè, vti ferebatur, veneno sublatus fuit. Non diutius *Bockai*, post nostram è Regno eiectionem regnauit, quàm *Moyses*, postquam Claudiopoli eiecerat, superuixit: vt pari peccato, parem pœnam inflixisse videatur Deus. Neque enim alio nomine nos eiecit *Bockaius*, nisi quia Catholicam religionem, eo tempore in Transyluania, ceruicibus nostris sustinebamus; & cùm me in Hungariam euocasset, nullam aliam causam, cur nos dimitteret, reddidit; nisi quia hoc hæretici, quibus ipse morem gerere volebat, expetebant. Digna Principe vox, scilicet. *Vindex scelerum Bockai Deus.*

Tertius BOCKAIO successit, SIGISMVNDVS RAKOCIVS Hungarus, hæresi vel Caluinista, vel Caluino Lutheranus, qui cùm in Principem adscitus fuisset, à *Matthia, tunc Archiduce, nunc Augustissimo Romanorum Imperatore,* clementer requisitus fuit; vt Societatem, per iniuriam dimissam, restitueret. Pro qua re, cum ad ipsum venissem; etsi omnia tanquam æqua, & iustitiæ consona pollicebatur; rem tamen ad Comitia referendam, respondit. Cùm igitur *Comitia Claudiopoli* haberentur, ne ego admitterer in ciuitatem, diu aduersarij restiterunt, & lapidibus se negotiū expedituros, protestati sunt. Verùm tandem ob *Cæsaris* reuerentiam, me admiserunt. Causam eodem, adiuuante Deo, egi; vt æquitas nostra, aduersæ partis iniquitas, innotesceret omnibus; nec vllus fuerit, qui vel verbum in contrarium protulerit. Ea erat vis non orationis, sed veritatis. Cùm igitur aduersarij viderent, se ratione nihil efficere posse; victoriam à nobis stare, aliam viam inierūt; clamoribus omnia implere, furere, tumultuari *Quarta sub Rakocij Caluinista.*

tuari cœperunt, & facto impetu Societatem proscripserunt, bonisque, quod inprimis auara Principis cupiditas quærebat, spoliarunt. Et ne vlli dubium esset, Societatem propter solam religionem, è Transyluania esse pulsam; & Regnum articulo hac de re conscripto, & Princeps testimonio, manu, & sigillo suo munito, testatum fecit. Articulus enim, quo è Transyluania excedere iussi fumus, ex Hungarico in Latinum sermonem conuersus, sic ad verbum habet.

DE RELIGIONE SIC DELIBERAVIMVS, VT IVXTA ARTICVLOS ANTEA EDITOS, OMNES IN SVA RELIGIONE, SINE IMPEDIMENTO CONSERVENTVR: SED SOCIETAS IESV EDITIONE ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS EXCEDAT. Hæc Comitiorum Articulus. Testimonium autem Principis, vt idem magis eluceat, de verbo ad verbum hic describemus, & est huiusmodi.

Principis Transyluania Caluinistæ, de innocentia S.I. testimonium.

Nos Sigismundus Rakocij, Dei gratia Princeps Transyluaniæ, partium Regni Hungariæ Dominus, & Siculorum Comes, &c.

Significamus tenore præsentium, quibus expedit, vniuersis, quòd cùm superioribus diebus, R.D. Ioannes Argētus Societatis IESV, antea in Trāsyluania Prouincialis, in hoc Regnū Transyluaniæ, eam ob causam venisset; vt à nobis, & subditis nostris, in dicto Regno nostro Transyluaniæ, & partibus Hungariæ, ditioni nostræ subiectis, impetraret, in priora residētiæ suæ loca, olim à D. STEPHANO Rege Poloniæ, Magno Duce Lithuaniæ, ac Principe, ac tunc memorati Regni Transyluaniæ, fundata, simul cum reliquis Patribus, ac Magistris eius Ordinis, regredi liceret; eam rem in Comitijs Generalibus Claudiopoli, ad decimam diem Mensis Iunij, præsenti anno celebratis, diu multumq́; agitatam; numero & multitudine Catholici ab aduersarijs eorum superati, consequi non potuerunt. Vnde nos præsentibus nostris testificamur, eosdem PATRES Societatis IESV, vt bonos, & morum integritate graues viros, ex suis Collegijs, bonisq́; non ob vllum delictum, aut notæ alicuius vitium; *verùm ad instantiam* Romanæ & Catholicæ fidei, contrariam opinionem sequentium, *esse deturbatos, exclusosq; & in alia loca demigrare coactos: prout testificamur harum nostrarum vigore, & testimonio literarum mediante. Dat. in ciuitate nostra Colosuar, die 26. Iunij Anno 1607.*

SIGISMVNDVS RAKOCII m.p.

Quis iam asserere audeat, Societatem ob aliam causam, quàm ob religionem Catholicam è Transyluania esse exclusam; cùm lex exclusionis aliam non afferat, & Princeps hanc vnam fuisse affirmet, quia hæretici numero Catholicos superant. Cæterùm Patres à probitate, grauitate, & morum integritate, homo hæreticus laudet. Nec verbo solùm, re etiam ipsa, hoc testatus est Princeps; quia Patres, qui tunc mecum erant, in suam tutelam suscepit; ijsque religionem Catholicam profiteri, & exercere liberum esse voluit; imo & in gratiam Catholicæ vxoris, vnum ipse dum in Transyluania fuit, aluit.

Vt autem omnia melius pateant, describam hîc *Protestationē*, quam tunc contra Articulum, contra nos editum, Catholici fecerunt, & est huiusmodi.

Nos subscripti, in vnitate fidei Catholicæ Romanæ Ecclesiæ, consentientes, Regni Transyluaniæ, partiumq; eidem adnexarum, tum incolæ, tum in eadem, ijsdemq; possessionati, ad vniuersorum tam præsentium, quàm futurorum, notitiam, harum serie, volumus peruenire. Quòd nobis vnà cum alijs sectarijs, puta Lutheranis, Caluinistis, Arrianis, alijsque priuatæ opinionis assertoribus; non definiendæ religionis, vel ad exterminationem Societatis IESV; verùm pro tractandis alijs, cū priuatis, tum publicis Regni negotijs, huc Claudiopolim ad Generalem Dietam congregatis; cùm R. P. Ioannes Argentus, eiusdem Societatis Sacerdos, & in hac Transyluania vice Prouincialis, qui non tam pridem à Serenissimo Principe Stephano Bockai, proprio arbitrio, absque Regnicolarum consensu, violenter è bonis proprijs, & stabilibus residentijs, cùm socijs alijs, eiectus fuerat; defendendæ propriæ innocentiæ causa, & interuenientibus etiam commendatitijs Serenissimi Principis, & Domini D. Matthiæ Archiducis Austriæ, &c. iuxta mentem Sacratissimæ Maiestatis Cæsareæ emanatis, coram statibus, & vniuersis Ordinibus huius Regni, in templo Arrianorum ad longum auditus fuisset; suiq; aduentus causam, innocentiam, doctrinæ veritatem, morum integritatem abundè demonstrando, iustitiam implorasset, & si qui essent, qui his contrarium tum rationibus, tum veris testibus docerent, prodire flagitasset; idipsum nos omnes Catholici ab aduersarijs, contra Patres Societatis, tantùm mutua conspiratione vnitis, postulassemus; quod videlicet in dicta causa, nullis testibus conuicti; è proprijs sedibus, & bonis, Patres Societatis, non modò non exturbarentur; verùm contra omnem æquitatem, à Serenissimo Stephano Bockai eiecti, suis locis, iuribus, & liberis Catholicæ religionis exercitijs restituerentur. Vbi aduersarij se causam de-

Protestatio Catholicorū Transyluaniæ, contra decretū de eiiciēda Soc. ab hæreticis factum.

speratam tueri, nec rationibus, aut aequitate, quicquam se consequi posse animadvertissent; obstinata pertinacia, & tumultuario clamore, in id consensissent, vt Patres Societatis ex hac Prouincia penitus eliminarent; cui sententiae vti contra aequitatem, & communem iustitiam, quae sua cuiq; reddi, nec quenquam inauditum, non conuictum, non sententiatum damnari suo iure postulat, subscribere haud potuimus. Verùm omnium nostrum nomine, tam praesentium, quàm absentium Catholicorum, fratrum nostrorum, successorumq; nostrorũ, de hac indigna, inaudita, iuribusq; Regni contraria sententia, in publica Dieta, tã corã vniuersis contrarijs statibus, & Ordinibus Regni, quàm coram ipsomet moderno Principe nostro, Illustrissimo Domino Sigismundo Rakocij, adiunctisq; consiliarijs eiusdem, solemniter protestati, eidem contradiximus: nunquam huic sententiae, Patrumq; Societatis Iesu eiectioni, bonorum, iuriumq; eorundem ablationi, consentire volentes; si quidem à pijs legitimisq; huius Regni Principibus fundationes suas, Priuilegia sua, cõfirmationesuè habeãt; neq; alicuius vel leuissimi criminis, cur ea de iure amittere potuissent, vnquam conuicti fuissent: prout contradicimus, praesentium per vigorem. Datum Claudiopoli, 10. Iunij. Anno Domini, 1607.

Franciscus Daroczy de Deregnyeo, Sacrae Caesareae & Regiae Maiestatis Consiliarius.

Balthasar Kornis Consiliarius Illustrissimi Principis.

Balthasar Syluasi, Consiliarius Illustrissimi Principis.

Lucas Trauisner Kolusuarius de Hadreno, Illustrissimi Principis Transyluaniae Consiliarius, & in sede Iudiciaria praesidens.

Sigismundus Kornis de Ruska.

Benedictus Mindzenti, Comes Comitatus Dobok.

Sigismundus Sarmasaghi, Comes Comitatus Thordensis.

Pancratius Sennei. Stephanus Huszar.

Petrus Banffi de Losoncz. Ioannes Kalnaki.

Clemens Beldi. Blasius Kamuty.

Gregorius Bornemissa, Iuris vtriusque Doctor, & sedis Iudiciariae Illustrissimi Principis assessor.

Paulus Foro sedis Iudiciariae assessor.

Simon Lody. Paulus Koncz.

Ladislaus Kraynik. Georgius Nagy.

Melchior Beteniey.

Haec Protestatio prius solemniter fuit facta, in publico omnium

nium Ordinum consessu; tum corā Principe & Senatu eius vniuerso; demum ad perpetuam rei memoriam, innocentiæ nostræ testificationem, & iuris nostri conseruationē, scripta: ac singulorum manu, & sigillo, subscripta atque signata.

Vltimus *Rakoczij* successor fuit Gabriel Bathoreus; qui à Catholica religione, in qua à Patruo *Cardinali*, & à nobis educatus erat; ad Caluinianorum sectam transierit. Hic bellum non Societati, sed religioni cruentum indixit; Nobiles Catholicos oppressit; Sacerdotes nullibi consistere permisit. Vnde & nostri, & alij, vel pulsi fuerunt; vel fuga sibi consuluerũt. Quā autem misere infælix perierit, id potiùs cōmiseratione prosequendum est, quàm narratione. Nunc alter imperat *Gabriel*; qui cùm & ipse sit hæresi infectus, facilè quiuis diuinare potest, quem successum sit habiturus; illud innuisse sufficit, cum adeò Turcis esse addictum, vt etiam Machometi, maxima ex argento candelabra, pro munere misisse dicatur, & potiùs cum Turcis, quàm cum Christianis fœdus habere velit. *Gabrielis Betlem Transyluaniæ Principis in Machometē deuotio.*

Ex his omnibus constat, Societatem nunquam è Transyluania, nisi propter fidem esse dimissam. Cùm enim aduersarij viderent, opposita iuxta se posita, nimis elucescere; nimisuè quid inter nostram, & ipsorum doctrinam, inter nostros & ipsorum mores interesset, declarare; ad vim confugerunt: & iustitiā honestateque contempta, innocentes oppresserunt.

Quantis autem calamitatibus, sacrilegè peccantem Transyluaniam punierit Deus, horret animus cogitare; ex sexcentis inauditis casibus, vnum profero, cui similem, oculum mortalem vidisse, non puto. Vir Illustris, & fide dignus, Sigismundus Sarmosagius, dum iter faceret; in quodam deserto pago, puerum octo vel nouem annos natum inuenit, sedentem cum canibus, propè cadauer humanum; cuius caput, pedes, & manus erāt integrè, reliquum corpus exossatū erat, & consumptum. Interrogatus puer, cuius caput illud fuisset; *Horrendum exemplum.*

an non in illa eadem rebellione, in ædibus propriis, ab ijsdem rebellibus crudelissimè trucidatus fuit? an non eadem rabies, caput ipsius à ceruicibus abscissum, è fenestris ad populum proiecit? Adhuc in arce *Semegensi* expressa sceleris vestigia cernuntur, & à tota posteritate cernentur. Quoties enim muri, Episcopi sanguine aspersi, abraduntur; toties quasi sudarent, cruentari dicuntur; rem non vidi, à viris fide dignis audiui. *pite trucatus.*

Taceo hîc Capitula dissipata; mitto Sacerdotes è propriis sedibus eiectos; morte affectos; in contemptum Sacerdotalis castitatis (immane facinus) euiratos. Prætereo Ecclesias spoliatas; sacram supellectilem direptam; reliquias Sanctorũ, auro, argento, denudatas, & conculcatas; calices, cruces, sacras pixides profanatas; omnem templorum ornatum deuastatum. Affirmant periti rerum Hungaricarum æstimatores, nunquam tantam rerum sacrarum stragem, à Turcis passam esse Hungariam; quantam passa est, à funesta illa, de qua loquimur, *coniuratione Bockaiana.* Audiui tunc milites fuisse, qui sacris patenis, veluti bullis serico affixis, equos suos ornarent, sexcentaque alia impietatis genera exercerent; nulli parcebant; templa polluebant; iugales thoros fœdabant; virgines opprimebant; omnia diuina & humana contaminabant; demum quod animus horret, lingua hæsitat, calamus tremit, in Transyluaniam vsque, vbi tunc eram, rumor venit, fuisse militẽ, verius dixerim latronem, qui sacras aras, Deoque dicata altaria, nefarijs stupris conspurcare non timuerit; sed quid mirum, erant enim Hæretici, & bellum erat Hæreticorum.

Ergo in Hungaria non Societati, sed sacro Ordini vniuerso, crudele bellum est indictum. Nos autem in communi malo, non fuimus immunes; bonis quidem à dominante auaritia spoliati; in personis autem, in religione, & alijs rebus, nullatenus impediti. Itaq; semper tam in superiore, quàm in inferiore Hungaria, plures è nostris fuerunt, vti & modò sunt; qui concionando, scribendo, docendo, & reliqua nostra mini-

ſteria *Caſſouiæ, Tyrnauiæ, Poſonij*, & alijs in locis exercendo, animarum ſaluti ſeruiunt. Et ſuperiori æſtate, cùm in ſuperiorem Hungariam excurriſſem, vidi *Homonnæ Collegium, à Georgio Homonnai, viro genere & virtute Illuſtriſſimo*, de nouo excitatum. Sed & illud occurrit ſcitu dignum, *Zagrabiæ*, quæ Croatiæ Metropolis eſt, & in Regis Hungariæ ditione, nos habuiſſe Collegium; de quo tollendo, cùm in Comitijs agerent Hungarorum hæretici, Croatæ tam fortiter reſtiterunt, vt omnia ſe malle pati, quàm hæc permittere declararent; ſe quidem cum Corona Hungariæ in politicis conuenire, in religione autem diſſentire. Ex quo illud infertur, nos, non morum gratia, ſed religionis cauſa, in Hungaria oppugnari; quod re ipſa teſtatus eſt, *Matthias Hungariæ Rex, & Imperator Auguſtiſſimus*, qui dum in Hungaria odio religionis vnum Collegium diſſoluitur, ipſe & *Zagrabiæ* à Croatis, & *Lincij* à maioribus ſuis inchoata Collegia, non exiguis attributis fundationibus perficit; ſicuti modò Cæſareum *Pragenſe Collegium*, magno auguſtæque liberalitatis digno vectigali exornat. Hactenus Hungaricam perſecutionem, in Societatem minimè excitatam eſſe, oſtendimus: iam quod ſecundo loco propoſitum erat, eiuſdem perſecutionis & rebellionis originem, & initium oſtendamus, qua in re, ſi in vlla alia, animos vellem attentos.

Croatarum in Catholicam religionem, & Societ: amor.

Cùm *Bockai* malè ſibi conſcius, & alieni Imperij pertæſus, dominari ipſe vellet; videret autem tam Cæſaris potentiam, quàm Hungarorum fidem, maiorem eſſe, quàm vt ipſe aperto Marte expugnare poſſet; cuniculis agendum ratus, quod omni tormentorum genere non obtinuiſſet, vno leuis membranulæ ictu perfecit; quo videlicet & Cæſaris vires, & Hungaricam fidem, protriuit. Paruulum quendam famoſum libellum euulgauit, quo quidam fingebat, ſe fuiſſe *Romano Pontifici* à ſecretis, atque ex Pontificijs arcanis accepiſſe, *Clementem Octauum Pont: Max.* cum *Rudulpho Imperatore*, & alijs Chriſtianis Principibus conſpiraſſe, vt omnes Hæreticos de medio tollerent, & Eccleſiæ Romanæ Imperium dilaterent.

Bockaianæ rebellionis in Hungaria origo libellus famoſus.

quod

quod ipse ideo se reuelare profitebatur, vt gratus Deo esset pro beneficio accepto, cùm à tenebris Catholicorum, ad Euangelicorum lucem vocatus fuisset. Adhæc fiebant glossæ, Ioco & tempori accommodatæ; videlicet illud in Hungaria propositum esse, vt *Cæsar* Hæreticorum bonis, ærarium suum ditaret; *Pontifex* verò indulgentijs & peregrinationibus, quæ sublato Hæreticorum imperio, frequentissimè Romam fierent, lucrum ingens haberet. ad hunc quoque finem Belgioiosam Cassouiam Generalem missum esse, vt classicum caneret; & primus in eo Regno ad opus manū admoueret. Ad tantam ergo, tamque nefariam Catholicorum impietatem auertendam, tantumque ac tam præsens periculum, ab omnium ceruicibus repellendum, *Stephanus Bockai* arma sumpsisse ferebatur; modusque aperiebatur, quo Hæretici Catholicos præuenientes, in eos insurgerent, eorum, maximè Ecclesiasticorum, opes occuparent; Euangelium suum propagarent; & alijs populis, atque nationibus, tanti facinoris exemplo præire non dubitarent.

Hoc fuit tormentum Rex Serenissime, hæc machina, qua *Bockai* Hungarorum fidem fregit; Cæsaris vires infirmauit; rerum potitus fuit. Nam statim Hungari, tum metu perculsi, tum spe lucri incitati, fidem violarunt, & turmatim ad Bockaium confluxerunt; quod nunquam fecissent, si illum cum Turcis & Scythis fœdus pepigisse, & Regnum ambitiosè quærere, non autem eos ab imminenti nece liberare velle, intellexissent. Accesserunt quidem & Catholicorum nonnulli, sed oppressi, & coacti; vel certè qui ipsi quoque sibi malè conscij, & sorte sua non contenti, rerum nouarum cupidi essent. Patefacta autem coniuratione, cùm *Illustriss: Comes Io: Iacobus Belgioiosa superioris Hungariæ Generalis*, arma mouisset; *Bockai* verò se virtute & viribus imparem agnosceret; ad libelli famosi cuniculum confugit; illumque in Cæsareo Hungarorum exercitu spargi curauit; adeoque Hungarum militem commouit, vt vno eodemque momento, & Belgioiosam proderet; & alteram exercitus partem, quæ

Belgioiosa mala arte libelli famosi à Bockai circumuenitur.

quæ Germanis constabat, insperato inuaderet, & prorsus deleret. Quare nisi famosus ille libellus fuisset, nunquam vel Cæsar Hungariam amisisset, vel Bockai illam occupasset; vel Belgioiosa, qui virtute militari, multis partibus Bockaio præstabat, labefactatus fuisset; nunquam in Hungaria tot rapinæ, tot cædes, tot stupra, tot scelera commissa; nunquam tot captiui ab ipsismet Hungaris, vti constans fama erat, Turcis & Scythis precio traditi, incredibili Regni, & animarũ damno abducti fuissent. Dum hæc Cracouiæ scriberem, *Illustrißimus Sacræ R.E. Cardinalis Forgatius, Archiepiscopus Strigoniensis, & Regni Hungariæ Primas*, ex peregrinatione ad B. Virginem Czestochouiensem suscepta, in Hungariam rediens, die Conuersioni sancti Pauli sacro, Cracouiam venit, vt est Ordinis nostri amantissimus, apud nos esse non recusauit; cùm illo hæc, quæ de Hungaria scribo, contuli; qui omnia verissima esse confirmauit; illud solùm videbatur innuere, facinorum, quæ in illa rebellione, vno famoso libello duce, patrata erant, atrocitatem multò maiorem fuisse, quàm vt verba mea, illam possent explicare. Ipse verò omnia perspectissima habuit; quia vnus ex illis erat, qui & Patriam ac religionem propugnabat; & nomine Cæsaris, coniuratis sese opponebat, malisque obuiam ibat. Cùm verò inter loquendum intellexissem, illius libelli memoriam, adhuc seruari apud prælatos; rogaui, vt cùm domum venisset, illius me participem facere vellet. promisit, atq; promissis stetit; librum enim misit, & literas manu propria ad me exaratas addidit; quas, cùm à tanto viro sint datæ, pro maiori fide, hîc ad verbum descripsi, & sunt huiusmodi.

Statim atque domum reuersus sum, ex altis niuibus difficulter eluctatus, de transmittendo scripto Hæreticorum, cuius euulgatione Bockaiana rebellio excitata erat, fui solicitus; & opportunè sese tabellarius obtulit, seruitor nostri M. D. Gasparis Horuat, à quo R.V. dictum Hæreticorum commentum accipiet; & deprehendet, quomodo fundamentum perduellionis, mendacium de extirpandis hæreticis, mutuo simulq; collatis Catholicorum Principum viribus, & auxilijs posuerunt; vt qui sacra profanaq; contaminare, omnia iura ex summa impietate euertere, in animum induxerant, vindices Euangelij haberentur; & Dei causam se tueri prætexerint. Ita personati incedentes, dirißimam persecutionẽ contra a-

uitam

uitam religionem excitârunt; & plusquam sexaginta millia Christianarum animarum, in Tartarorum & Turcarum seruitutem redegerunt; *ita tetram, atque abominandam faciem Regni relinquentes, vt seculo forsitan integro, aliquam formam ac speciem recuperare non possit. Caueat sibi Regnum Poloniæ, ab his religionis reformatoribus; & Patriæ consulat, horum diabolica fraude vententiũ simulationibus reiectis, & pro defensione fidei Catholicæ, tanquam vnica Patriæ salute, murum se opponat. Religiosæ ac piæ Paternitatis vestræ mentis erit, ex hoc veneno pharmacum antidotumq́; conficere. Quod reliquum est, R.V. diu benè valere cupio Datum Tyrnauiæ, &c.*

Quanta Hũgariæ in rebellione Boczkai deuastatio.

Hactenus *Illustrißimus Cardinalis Strigoniensis*, ex quo habemus, quod quærebamus, originem Hungaricæ coniurationis fuisse famosum libellum, longissimam perniciosissimorum mẽdaciorum seriem complectentem, quo veluti peste vastata est Hungaria ferè vniuersa. Hinc reor S.M.V. videre, quod tertio loco positum erat, quid nimirum commodi ex his referre debeamus; vt sumptibus alienis, malis nostris medicinam faciamus. Hic sanè aperiendi essent oculi, & diligenter etiam atque etiam videndum, quò tandem tendant, tot famosi libelli; quorum modò cõtra Principes seculares, modò contra Ecclesiasticos, modò contra Religiosos, tam ferax est quorundam procax libertas, vel potiùs effrenata licentia. Poloniam cum Hungaria non comparo; illud assero, nihil vni Regno accidisse, quod alteri non posset euenire: ergo sicuti per famosos libellos, supra quàm credi possit, in Hungaria depressa est religio, depressus status Ecclesiasticus, res Catholicorum depressæ; tot ipsorum met Coniuratorum clades, tot omnium Ordinum calamitates, tot incendia, tot flagitia, tot captiuitates visæ sunt, vt nulla Hungarorum posteritas immemor sit futura; quis nobis polliceatur, à tantis malis securitatem, si eosdem malorum fontes permittamus domi nostræ scaturire?

Hoc periculum quantum esset, intellexerunt summi orbis Principes, tam Ecclesiastici, quàm seculares, *Imperatores*, inquã, *ac Summi Pontifices*, qui famosorum libellorum auctores, tanquam humanæ Societatis pestes, à fidelium communione separarunt; infamiaque & capite damnârunt. Sed de hoc alibi.

Illud

Illud hic ſpecto, quod ex Hungaria Societati obijcitur, non magis nobis obeſſe, quàm obſit vniuerſo ordini Eccleſiaſtico, qui ſemper oppugnatur à Principe tenebrarum. Deinde ſi quis Hungariam Polonis exemplo eſſe velit, illum aliud non quærere, quàm tumultus, ſeditiones, rebelliones; vno verbo, Angliam potiùs, quàm Hungariam affectare, & ſi hoc nondum audeat profiteri. Demum famoſos libellos eſſe prohibendos, & auctores cohibendos. Nec vllus clamet, hoc eſſe falcem in meſſem alienam mittere; id eſſe politicis ſe immiſcere, ac libertatem imminuere; hoc enim non eſt vel politiam ſibi vſurpare, vel debitam genti liberæ libertatem adimere; ſed eſt conſilium Deo gratum, hominibus vtile, Reipublicæ ſaluberrimum dare.

DE BOHEMIA.

Cap. XIV.

HAbet V. S. M. Hiſtoriam Hungariæ, iam Bohimicam accipiat; quanquam haud ſatis percipio, quid velint illi, qui Bohemicam nobis obijciant; cùm hactenus nihil ibi nõ honorificũ nobis acciderit: ſi quid cõiectura aſſequi poſſum, illud intelligunt, quod magnus ille nouellarum architectus *Gallobelgicus* de Collegio Pragẽſi ſcripſit eo tempore, quo miles Paſſauiẽſis vrbem *Pragam* inuaſit; ſi enim eius nouella, cum famoſo ficti cuiuſdam Cambilhonis libello coniungatur, alter alteri fucum aliquem feciſſe videtur. Nam *Cambilhon* ait noſtra templa teſtũdines ferreas habere; magnum ſupra illas belli apparatum, moſquetas quam plurimas, lanceas, & bipennes, & prægrandium miſſilium lapidum aggeres ampliſſimos; & ad hoc confirmandum adducit domum noſtram *Cracouienſem, & Collegium Pragenſe.* Gallo verò Belgicus nouellam grandem ſpargit, in Collegio Pragenſi, ab Ordinibus Regni, magnum belli apparatum inuentum eſſe; an non vides, quomodo veritas conſonat veritati? ſcilicet. Rem ego prout geſta ſit, miſſis fabulis enarrabo; nam interfui, & vt officium

Prouin-

Prouincialis ferebat, in manibus habui. Res ita se habet.

Vrbs Pragensis, Rex Serenissime, in tres partes est diuisa; in paruam, vt vocant, partem, in nouam & antiquam ciuitatem. Cùm ergo Anno 1611. ipso Carnis priuij peruigilio, miles Passauiensis paruam partem inuasisset: populus nouæ ciuitatis, occasionem idoneam ad Catholicam religionem opprimendam, & loca sacra diripienda se nactum ratus; omnia ferè monasteria, tam nouæ, quàm antiquæ ciuitatis adoritur; & dum in parua parte cruenta pugna committitur, in noua & antiqua ciuitate, templa, aræ, cœnobia, sacro religiosorum sanguine, à furenti plebe cruentantur; Abbates, Monachi, quicunque viri religiosi in plebem incidunt, rapiuntur, ad mortem trahuntur; è templorum fastigijs, & turribus altissimis præcipites aguntur; securibus, clauis, gladijs, fustibus, lapidibus, alijsque armorum generibus, quæ tumultuantem plebem armare solent, crudelissimè enecantur, denudantur; prorsus feruorum Dei laniena instituitur. Tredecim in vno solo monasterio occisi religiosi, & in cumulum coniecti cōspiciuntur; omnia rapinis exponuntur; nec vlla, vel ciuilis Magistratus industria, vel Ordinum Regni potentia, tantam rabiem compescere potest. Hæc sunt exempla, quæ aduersarij, ex alijs in nostram patriam prædicant, aduocanda, vt Reipublicæ regimen corrigatur. Societas puniatur, bono publico cōsulatur.

Pragensiũ hæreticorum in religiosos crudelitas.

Sed pergamus. Nemo putet Collegium nostrum obliuioni esse traditum; nam proposito, & voluntate nos primi neci, Collegium rapinæ erat destinatum. Sed Deo aliter visum; nã cùm Collegium, ad pontem, qui antiquam à parua ciuitate discriminat, sit positum; ibiq; essent dispositæ turmæ equitũ, quæ Passauiensibus transitum prohiberent; non facilè plebi ad Collegiũ patebat accessus; quem, vt sibi aperiret, rumorem sparsit, Passauiẽsium milites in Collegio esse collocatos, qui è latebris erũpentes Bohemos trucidarẽt. Ergo præfectus

Pragensiũ Hæreticorũ in Collegiũ S.I. conatus.

equitum *Georgius VVratislaus, vir nobilitate, & virtute clarissimus*, tres ex Ordine militari misit, qui an rumor ille verus esset, cognoscerent; dum autem lustratur domus, & rumor falsitatis coarguitur, plebs suppositis trabibus, portas euertere nititur: aduertunt equites, & imperante Præfecto, in confertam turbam irruunt; illam dissipant; & ne amplius accedant, prohibent; & sic illo die non à Catholicis, sed ab Euangelicis, honestatis tamen amatoribus, seruati sumus. Ne autem in posterum plebs quicquam tentaret, præsidium militum in Collegio, Ciuitatis Ordinumque consensu collocatum est. Ad Collegiū etiam missi *viri Illustrissimi, Venceslaus VVchinski, Vilhelmus eius frater, & alij Barones nobilissimi*, qui nunciarent Ordines Regni, Collegium in suam tutelam suscipere; mihi & reliquis omnibus securitatem polliceri; vitam propriam, pro vitæ nostræ salute scutum opponere velle. Quod autem promiserant, fidelissime præstiterunt. Incredibilia enim sunt humanitatis officia, quæ tum ab alijs, tum maximè à suprascriptis fratribus, experti sumus; vt maximè mirum fuerit, in tanta rerum perturbatione, tanta armorum licentia, tam diuturno tempore, Collegium nostrum nihil violenter passum esse. Quod sanè nunquam accidisset, si Ordines illi, maxima, ne dicam, omni ex parte, à Catholica religione alieni, nos sui Regni perniciem esse, vel tantillum suspicari potuissent; vel etiam non vtilissimos agnouissent. A ciuitate ergo Pragensi discant ciues Torunienses, discant Rigenses, discant & Gedanenses; sicut & Bohemorum Euangelicorum exemplum, tutò sequi possunt Polonorum Euangelici. Sed pergo.

In tumultu Pragensi, Iesuitæ incolumes ab ipsismet Euangel icis seruati.

Post aliquot dies ijdem Ordines rogant, vt pro Collegij patrocinio, quod ipsi tam constanter susceperunt, aliquam animi grati significationem præbeamus; & vel mutuo, vel precio, illis in necessitate constitutis, tradamus illas bombardas, cum reliquo bellico apparatu, quem nos in Collegio habere pro certo scirent. Respondeo, me quidem dolere, quia non habeo, in quo possim illis gratificari; rei bellicæ ne vmbram quidem in Collegio esse. quia verò ipsi se scire dicunt, quærant,

Apparatus bellicus in Collegio Pragensi frustra quæsitus.

rant;& quicquid inuenerint,gratis accipiant;meque mendacem confeant:quod si nihil repererint, me hoc vnum ab illis petere, vt in posterum nostris accusatoribus discant fidem non adhibere.Constituti igitur trium statuum Regni,primarij viri, qui Collegium lustrarent. Hi è vestigio aduolant, & secum exploratores adducunt;qui se & res vidisse, & locum vbi absconderentur,digito ostëdere posse,profitentur. Quãta,Deus bone,& quàm accurata,non vna,sed triplex inquisitio.Loca notabant hi, fodiebant illi; totum vbique Collegium euolutum;nihil intactum relictum,infra,supra,in hortis, in cellis, in tribus quæ adiuncta sunt Collegio, Templis; & cùm apud viuos omnia explorassent, apud mortuos etiam apertis sepulturis explorare voluerunt; tota die laborantes, fatigati sunt,& nihil inuenerunt;non sine rubore eorum,qui adeo rem certam faciebant, vt etiam currus & vehicula adduxerint, quibus absque mora aueherent, quicquid inuenissent. Hac de re testimonium authenticum dederunt Status, quod impressum vulgatumque fuit, ad retundendam tum *Gallobelgici* vanitatem;tum *Cambilhonis* iniquitatẽ; tum aliorum crudelitatem;qui tam facilè ijs adhibent fidem,qui vt noceãt Societati,omnia fingere, omnia mentiri, omnia iurare licitum sibi persuadent; sicuti persuaserunt illi, qui oculis proprijs apparatum illum bellicum se intuitos affirmabãt.Testimonium autem ex Germanico in Latinum sermonem de verbo ad verbum hîc describere visum est,quod tantò maius pondus habere debebit, quantò magis illi, qui testimonium reddunt,à nobis religione dissentiunt; vt non religionis intuitu,nos tueri voluisse, sed veritatis ergò testimonium dedisse videantur.

Ordinum Regni Bohemiæ, de innocentia Iesuitarũ Pra-

Nos Henricus Matthias,Comes & liber Baro de Thurn,& in Creutz, VVelich, Losdorff,hereditarius Hoffmaisterus Carinthiæ, hereditarius Marschalcus principalis Comitatus Gorcensis, Regiæ Maiestatis Hungariæ & Bohemiæ Consiliarius, Burgrauius in Carlstein Generalis constitutus, Leitenant Regni Bohemiæ supremus. Leonardus Coloua, Baro de Fels in Engelsberg, Regiæ Maiestati nominatæ à Consilijs, Regni Bohemiæ supremus Marschalcus campi. Ioannes iunior de Bubna supremus Præfectus vigiliarum , & Guilhelmus Zakauetz a Zakavv supremus

campi Decurio, prædicti Regni Bohemiæ. Omnibus cuiusque dignitatis, & ordinis, in quorum manus hæ literæ venerint, amicitiam nostram, & propensam voluntatē.

gensium testimonium.

Postquam non solùm ante perniciosam, militum Passauiensium irruptionem in Metropolim huius Regni celeberrimi; sed etiam post illam calamitatem, famosus quidam rumor, & libellus perniciosus, contra Reuerendos Patres Societatis IESV, propalam diuersis temporibus spargebatur; quasi illis Patribus, Pragæ in Collegio, maximus apparatus bellicus, non contemnenda manus militum, in Patriæ detrimentum congregata, & in promptu esset; decreuimus, nullam industriam & diligentiam prætermittere, nominatum Collegium visitandi, & ad veritatem (commune malum propellendi causa) omni conatu indagandam; imò maiore studio flagrantes cognoscendæ veritatis, triplici inquisitione, per constitutos, trium statuum huius Regni Equites, & ciues, & addictos Decuriones militum, totum Collegium, conclauia, cellaria, cryptas, templa, turres, vbique locorum omnia abdita lustrari mandauimus. Verùm nec minimum quidem signum illarum rerum, nec bombardarum, nec puluerum, aut armorum apparatum, multò minus copias militares inuenerunt; certò cognoscentes PP. Societatis Iesu, contra fas, ex maleuolentia quorundam inuidorum, turpi hac nota inustos fuisse. Cùm itaque omnino extra omnem culpam inuenti fuissent, publicum innocentiæ testimonium, iure meritò à nobis petiuerunt: quod nos veritatis amantissimi, & strenui propugnatores, mendaciorum hostes accerrimi, ipsis non debuimus, nec potuimus negare. Testamur ergo publicis hisce literis, Patres Societatis Iesu, in Collegio Pragensi innocentes esse, declarantes omnia, quæcunque inuidia perciti homines famosa finxerunt de illis, falsa esse. Volumus etiam hoc nostrum testimonium, per publicum aliquem Notarium descriptum, eiusdem auctoritatis esse, ac si ipsum originale in iure exhiberetur. In huius rei argumentum, & testificationem, nos supra nominati, supremus Generalis Leitenant, supremus Marschalcus campi, supremus Præfectus vigiliarum, supremus campi Decurio Regni Bohemiæ, has literas proprijs sigillis munimus, & manu propriâ subscribimus; & in signum maioris fidei, & testificationis, rogauimus Illustres, Magnificos Dominos Regni Officiales, Iudiciorum Assessores, Regiæ Maiestatis Hungariæ, & Bohemiæ Vicarios, & Consiliarios, vt etiam sua sigilla imprimerent. Datum Pragæ 23. Septembris. Anno 1611.

Henricus Matthias Comes à Thurn, Burgrauius in Carlstein.
Leonardus Coloua, Baro à Fels supr: campi Marschal.
Ioannes Iunior à Bubna, supremus campestrium vigiliarum Præfectus.
Gulielmus Zakauetz à Zakavv supremus campi Decurio.
Adamus à Sternberche, supr: Burgrauius Regni Bohemiæ.
Adamus iunior à VValstein. Iaroslaus à Martinitz.
Christophorus senior à VVratislaus.
Georgius à Thalenberg. Tiburtius Zdziarski.

Hæ sunt Historiæ, Rex Serenissime, hæc exempla, atque decreta

creta, quibus in Regnis, ac Rebuspub. vel vniuersim, vel ex parte Catholicis, hactenus Societas nostra cõuicta est, scilicet, iniquitatis. Verè si aduersarij nostri, mutato animo, innocentiam nostrã tueri vellent, nõ video quibus firmioribus argumentis, certioribusue testimonijs vti posset: cũ ex ijs nihil aliud colligatur, quã nos vel moribus esse religiosos, vel doctrinã Catholicos; & si quid nos passos ostendunt, non nisi ob Catholicam religionem, passos esse declarant; quod nos vltrò fateri non erubescimus; nec vitio nobis, sed gloriæ Christi tribuendum esse existimamus.

DE ANGLIA CAP. XV.

VNA restat Anglia, quæ quo schismate sit perdita, qua hæresi polluta, quàm item vario persecutionum genere Catholicorũ reliquias affligat, nemo est qui nesciat; cùm verò in eo Regno multi sint Catholici: ad hos solandos, & in fide conseruandos, aliosque ad ouile Christi reducendos, Societas suam operam dicauit; multosque Sacerdotes, doctrinã insignes, virtute conspicuos misit, mittitque quoties mittẽdi facultas datur. Ex plurimis, qui illam vineam coluerunt, licet multi sæpius capti, damnati, morte mulctati fuerint; nullus tamen alterius criminis iudicatus fuit, quàm religionis; esto crimen istud (si crimen appellari potest) maiestatis appellaretur. Postremis annis, occasione coniurationis aliquorum in Regem *Iacobum*, *Henricus Garnetus* è Societate Iesu, in suspicionẽ huius criminis venit, qui captus, damnatus, supplicio affectus fuit. Hinc factum, vt aduersarij nostri, Societatem parricidij insimulantes, ex Anglia quoque argumẽta petant, producto in mediũ præcipuè *Garneti, & Ricardi Valpoli* exemplo. Nos igitur vtrumque ab hac calumnia vindicare, & Societatem in Anglia vnius relgionis causa agere, & pati ostendere volumus. Et quidem si ad manum esset Apologia pro *Garneto*, ab *Eudæmon Ioanne* edita, nullo opus esset labore: omnia enim quæ desiderari possunt, abunde ibi sunt; sed quia non omnes illam habent, pauca ego excerpam; quæ pro veritate cognoscenda sufficiant.

Et qui-

Et quidem quo ad *Valpolum*, facilè est ostendere, non ipsum facinorosum fuisse; sed calumniam ab Anglicano odio in eum profluxisse; res ita se habuit: Quidam *Squirus Anglus*, cùm in Hispania conuersus ad Catholicam religionem fuisset, deinde in Angliam rediisset, captus fuit à *Comite Essexio*, magnæ potentiæ viro; & cùm subijceretur quæstionibus, vi tormentorum, in seipsum mentitus est: fassus enim est, se in Angliam venisse, vt *Reginam Elizabetham*, & ipsum *Comitem* veneno tolleret è medio. Cùm verò Comes vellet, vt Squirus, quod in quæstionibus fassus erat, in iudicio confirmaret, ad tribunal ductus est, & ibi accusatus; & in accusatione sunt additi alij complices, inter quos *Valpolus*, tunc Squirus omnia negauit, & vi tormentorum se mentitum asseruit. Sed iterum decipitur, fit illi spes salutis si fateatur; spe illectus, fatetur. Verùm cùm postea delusus, ad patibulum ductus fuisset, publicè circumfuso populo audiente, testatus est, se prius vi tormentorum, deinde spe vitæ, in seipsum, & in alios illud mendacium esse commentum; & cùm vrgeretur, vt vel saltem de Valpolo fateretur, de illo maximè negauit: imò ipso inscio ex Hispania, vbi tunc degebat, discessisse affirmauit. Res antiqua est; & aliàs confutata; sed aduersarij hæc mendaciorum rudera, pridem in sua iniquitate sepulta exhumāt, vt ijs, si fieri possit, innocentem Societatem obruant.

Garnetus S.I. Coniuratione contra Regem Angliæ factam omni studio impedire est conatus.

Quoad *Garnetum*, virum, omnium qui illum nouerunt, opinione pium & sanctum; illum traducunt *Edoardus Coquus Anglus*, & *Casaubonus Gallus*, à quibus plenam mendaciorum sarcinam accepit noster veritatis patronus; qui si veritatem amasset, eam apud *Eudæmon Ioannem* inuenisset. Breuissimè quædem afferō, ex quibus colligi posfit, *Garnetum* non solùm non parricidam, sed parricidij innocētissimum fuisse, nec auctorem, suasorem, aut complicem coniurationis fuisse; sed coniurationi quibus potuit modis obstitisse. Cùm enim nondum vllam de coniuratione notitiam haberet, sed solùm ex coniecturis quibusdam aduerteret, Catholicorum aliquos animo graue aliquid agitare, malis obuiam ferio ire statuit. Primò igitur

igitur cœpit frequentiùs & feruentiùs in concionibus de patientia malorum, & propriâ Christianorum fortitudine disputare, atque hortari, vt ferendo vincere, quàm resistendo vinci mallent. qua in re adeò progressus est, vt *Catesbeius*, coniurationis caput, ægrè ferret, nec amplius, vti solebat, tum frequenter cum *Garneto* ageret. Deinde Romam *Garnetus* scripsit, se dubitare, ne aliquid accideret, & ideo consilium petere, quid sibi faciendum. & cùm responsum habuisset à *Præposito Generali* Societatis, tum à *summo Pontifice*, vt pro viribus omnes turbas & conspirationes impediret, ipse conuocatis, *Catesbeio*, & aliquibus aliis, quorum animos aduertebat esse turbatos, illis voluntatem *summi Pontificis* exposuit; grauissimè monuit, ne inuito Christi Vicario quicquam tentarent; si secus fecerint, Deo irato, felicem exitum ipsos non habituros. Demum, cùm in confessione, coniurationem à *Grienvaldo* ipsius Catesbei nomine accepisset; per eundem ea consilia Catesbeio suggessit, vt teste ipso Grienvaldo, maiore diligẽtiâ ac fide suggerere non potuisset, si de summi Pontificis capite, controuersia fuisset; omnino à tanto, tamque immani & Christiano homine indigno facinore, deterrebat. quia verò ea conditione secretũ illi creditum erat, vt nisi aliundè illud intelligeret, taceret, alto silentio rem totam inuoluebat.

Ex his colligo: Primò falsum esse, *Garnetum* fuisse auctorem, suasorem, complicem coniurationis, imò ab illa abhorruisse, & omni ope impedire voluisse. Colligo secundò, falsum esse, Garnetum vnquam fassum esse, se complicem, vel etiam conscium aliô modô, quàm per confessionem; imò ipso vltimo vitæ momento, magna animi Constãtia, innocentiam suã testatum esse, affirmant omnes, qui eius morti interfuerunt. Tertiò colligo, falsum esse, Garnetum animasse Catesbeium ad facinus, sed potiùs deterruisse. Colligo quartò, falsum esse, Garnetum ob aliam causam esse damnatum, & morti adiudicatum, quàm ob Catholicam religionem: & quia non reuelauit coniurationẽ, quæ sub sigillo confessionis, ea conditione illi credita erat, vt de ea nõ loqueretur,

 nisi pri-

nisi prius aliunde de illa re notitiam haberet; quod ipse sanctè seruauit, quia sanctè seruandum in sigilli illius reuerentiam esse existimauit. quæcunque ergo fingit, & affingit illi *Coquus Anglus*, & ex eo Anonymus Prutenus, totum est falsum. Spiritus enim tumultuandi, & coniurandi, longissimè abfuit à Garneto, sicut abest à Societate, vt ostendunt literæ Præpositi Generalis ad Garnetum datæ, & ab Eudæmon Ioanne relatæ.

Cur Garnetum Hæretici tot mendacijs infament. Sed oritur dubium, quare *Coquus* & alij, tam diligenter quæsiuerint mendacia, quæ supponerent *Garneto*, illumque tot maculis deformatum proponant contemplandum. Ad hoc respondeo, quantum coniecturâ assequi possum, illam esse causam, quia *Garneti* ea fuit in vita virtus, & in morte constantia, vt omnium animos ad se rapuerit, & magna ob eius mortem cõmotio secuta fuerit; vt timuerint veritatis hostes, ne Garneti splẽdor, falsitatis tenebras disijceret, & populo ad salutẽ facem præferret. Nec vana est coniectura, est enim fundata in iudicio, & relatione summorum virorum, qui adfuerunt, & de morte *Garneti* in eum, quem dixi sensum, magnificè scripserunt. Extant literæ apud *Eudæmon Ioannem*, potentissimi Regis Legati, qui inter alia, *mortem*, inquit, *tam constanter obitam ingens animorum commotio consecuta est, vt meo quidem iudicio, plures ad Christum traduxerit, plusq́; vtilitatis hoc tanto fortitudinis exemplo attulerit Patriæ suæ, quàm viginti ipsis annis, quibus in hoc regno versatus est, illud argumento esse potest, quod cùm moris in Anglia sit, vbi auulsum cor caputq́; proditoris carnifex extulerit, à multitudine acclamari, viuat Rex; in hoc supplicio acclamantis nulla fuit.* Hæc ille. Coniecturam confirmat, & veritatem aperit illud *miraculum de spica*, quod sanctitati hominis additum, animorum commotionem augebant; & ideo ad auertendum ab admiratione *Garneti* populum, *Coquus*, & alij mẽdaciorum lutum, quo illũ macularet, quæsiuerunt; sed *Deus est gloriosus in sanctis suis*.

Denique aliud nihil hîc restat, nisi vt eundem Garnetum ab æquiuocationis calumnia vindicemus; illum enim exagitãt tanquam mendacem, sacrilegum, & eius occasione in omnes Doctores Catholicos inuehũtur. Quia verò multi hac de re scripserunt, breuissimè me expediam; negando Garnetum

vnquam

vnquam probasse illam æquiuocationem, quam illi aduersarij imponunt, quæ vel mendax est, vel mendacium continet, sed illã solùm, quam didicit ex sacris literis, & cuius exempla à sanctissimis viris accepit. Vellem enim mihi responderent aduersarij, quid sentiant de Abrahamo Patriarcha sanctissimo, quando Saram non coniugem esse affirmat, sed sororem; vtrum Abraham mentitus fuit? Quid de Iacob viro prælecto, quando se Iacob negauit, Esau affirmauit, an fuerit mẽdax? Quid de Dauide Rege & Propheta, secundũ cor Dei, quando cùm à facie Saulis fugeret, ab eo mitti Sacerdoti nũciabat? an ipse quoque mendax? & si Rex & Propheta mendax, quis verax? Quid de Iudith fœmina probatissima, de qua diuinum testatur oraculum, non fuisse, qui de ea loqueretur verbum malum; cui, vt Holofernes faciliùs deciperetur, Deus addidit splendorem; eritne qui in ea mendacium aperiat? Sed ne longum faciamus, quid dicent aduersarij de Christo ipso, quando se longius ire finxit? quando filium hominis extremi diem iudicij ignorare dixit? quando loquens in parabolis, volebat, vt Iudæi audirent, sed non intelligerent? Ad hæc & plurima alia similia, quid dicent grandes isti rerum Diuinarum Atlantes? quid clamabũt? quid vociferabuntur? ego expecto, vt ne nos à mendacio absoluant, se execrando mendacio irretiant, & Abraham, Iacob, Dauid, Iudith, & Christum ipsum mendaces pronuncient. Sed tunc præstabit nos cum Christo & Sanctis, (si ita fas loqui) esse mẽdaces, quàm cum Caluinista aliquo esse veraces: *& grande solatiũ nobis erit*, inquit S. Hieronymus, *ijs non placere, quibus displicet Christus*. Rursum vellem dicerent mihi si à latronibus cum S. Athanasio peterentur ad necem, an essent imitaturi S. Athanasium, vt vno verbulo periculum patibuli declinarent, an essent futuri tam religiosi, vt ne veritatem inuoluerent, in malam crucem irent.

Gen. 12.
Gen. 27.
1. Reg. c. 21.
Iudith 10. 11.
Epist. 99.

Iam verò si vtrumque extremum vitare velint, vt neq; mẽdacium admittant, neque Christum, cuius in ore dolus non

est, mendacem faciant; medium autem ipsi reperire nequeant, ne illos pudeat Doctorem Catholicum accedere, qui illos inter vtrumque extremum, recto tramite doceat incedere. Docebit enim magnum discrimen inter hæc duo esse, videlicet tegere verum, quod fit per illam æquiuocationem, quam *Garnetus* admisit, & licita est; & dicere falsum, quod fit per mendacium, & nunquam licet. Quod autem *Campianus* docuerit, licere loqui contra conscientiam etiam cum iuramento, is non est partus ipsius, est suppofititius, sicuti & plurimi alij. Et manifestè probatur; nam si *Campianus* & *Garnetus* illã mẽdacem doctrinam probassent, facillimè omnes difficultates, & mortem euadere potuissent; affirmando & negando, & iusiurandum interponendo ad decipiendos Iudices; quod non fecerunt, quia omnino doctrinam illam reprobârunt. Mentiri enim à Catholicis est alienum, proprium Hæreticorum; quibus quicquid libet, licet. neque hîc volo ipsorum mendacia enumerare, neq; referre quod narrat *Hieronymus Bolsecus* in vita Caluini, se didicisse, licere ad promouendam Dei gloriam, & Euangelium suum non modò mentiri, sed etiam innocentes per calumniam circumuenire; & meritò, quia cùm illud Euangelium sit fraudulentum, non nisi fraude videtur posse promoueri. Similiter taceo Zuinglium, qui reuocans primam sententiam, de præsentia Christi in Eucharistia, ait, se pridem falsitatem agnouisse, sed tempori fuisse seruiendum; id est, in re fidei mentiendum, pro albo docẽdo nigrum. Demum mitto Lutherum, qui cùm maximè à Pontifice Romano abhorreret, & nihil minùs, quã de eius obediẽtiã cogitaret; ad illũ literas illas dedit, quas refert Surius: *Beatissime Pater*, inquit, *prostratum me pedibus tuæ Beatitudinis offero, cum omnibus quod sum & habeo, viuifica, occide, voca, reuoca, approba, reproba vt placuerit; vocẽ Christi in te præsidentis & loquentis agnoscam.* hæc ille, qui non æquiuocabat, sed in re grauissima apertissimum mendacium vsurpabat.

Cap. 20. | *Lib. de falsa & vera doctrina.* | *An. 1517.*

Memini ego, cùm ante paucos annos Caluinista, seu vt vocant Picardita, eam Cathedram *Pragæ* occupasset, in qua olim Ioannes Hus suam hæresim promulgârat; & illam Diuini

cultus

cultus vmbram, quam adhuc Hussitæ seruabant, amanda ſſet; ac propterea populum grauiter offensum esse intellexisset, sibique timeret; populum placare volens, quæ sustulerat, reposuit; eamque rationem reddidit, quia videlicet tempori seruiendum esset; simulareque ac mentiri liceret; quo in genere ipsum Paulum Apostolum aliquando peccatum mortale admisisse, ore impuro pronunciauit. Sed Hæreticos in mendaciorum luto inuolutos relinquamus, & ad vltimum propositionis nostræ caput descendamus, nostraq; testimonia cum aduersariorum testimonijs comparemus.

TESTIMONIA PRO ET CONTRA SOCIETATEM EXpenduntur: & vtris maior fides adhibenda sit, decernitur.

Caput XVI.

NON disputo hîc, vtri in rebus Societatis magis credendum sit, mihiné, qui nihil affero, quod non habeam perspectum; an illis, qui de ijs differunt, quæ prorsus nesciunt. Nam si hanc disputationem suscipere, facilè accidere posset; vt vel tanquam pars non audirer; vel tanquam arbiter suspectus haberer. Alios igitur, quos aduersarijs obijciam, proferre constitui; vt auctoritatem auctoritati, testimonia testimonijs, homines hominibus, veluti clipeos telis eorum retundendis, quin etiam retorquendis opponam; illudque efficiam, vt velint nolint, verum à nobis, falsum ab ipsis stare fateantur; modò illud concedant, quod sapientes omnes concedunt, vnicuique in sua arte credendum; & sicut cæcus non iudicat de coloribus, sic cùm de bono publico, de Reipublicæ incolumitate, de recta Principum gubernatione agitur, non quoslibet audiendos; sed peritos, sed sapientes, sed eos, qui cum laude ad Reipublicæ clauum sedent, in consilium adhibendos. Iam altissimum quasi veritatis montem animo cōscendamus, & inde veluti ex speculo, mente & cogitatione orbem vniuersum circumspiciamus, omnium ora & studia intueamur; & quinam Societatem nostram orbi Christiano

vel vtilem dicant, vel noxiam affirment, diligenter atten-
Romani damus.
Pont. Quatuordecem *Romanos Pontifices* ætate sua vidit Societas; ex
Testes ijs paucos reperies, qui diutius vixerint, & Societatem ma-
pro Soc: gnis beneficijs, magnificè ornamentis non illustrârint. Mul-
ti enim confirmârunt, omnes Ecclesiæ vtilissimam prædicâ-
runt, ab impugnatoribus defenderunt; inter quos præstite-
runt tres Pauli, vnus Iulius, duo Pij, vnus Clemens, duo item
æterna memoria digni Gregorij.

Bulla quæ Et quidem Paulus III. qui primus Societatē instituit, & cō-
incipit, firmauit, illam *agrum fertilem, qui nō singulis annis, sed singulis diebus, mul-*
Paulus *tiplices vberesq; fructus, ad summi Regis laudem; & fidei incrementum, verbo &*
Episcop. *exemplo produceret,* appellauit.
an.1549. Iulius autem III. qui secundus Societatem confirmauit,
Bul: Di le- *reiectis seculi vanitatibus, ipsam gratum altissimo præbere, sub humilitatis spiritu*
cte fili, *famulatum & feruentibus studijs per exempla virtutum, & solidam doctrinam,*
anno *alios ad Diuinæ maiestatis obsequia trahere,* asserit.
1552. Pius IV. Religiosos Societatis, *sicut nomen,* inquit, *sociorum Iesu*
Bul: Di- *assumpserunt, ita opere, doctrinâ, exemplis, ipsum Dominum Iesum Christum imi-*
lecti filij. *tari, eiusq; vestigia sequi nituntur.*
an.1561. Pius V. *Innumerabiles,* asserit esse, *fructus, quos Christiano orbi Societas*
Bul: In- *Iesu attulit, & affert, quæ proprij sanguinis prodiga, vt verbū Dei efficacius planta-*
numera- *ret, Martyrio voluntario se supposuit, & Regna ipsa ad Christi agnitionē perduxit.*
biles. an- Gregorius XIII. quo nullus pluribus, maioribusque priui-
no 1568. legiorum firmamentis Societatem stabiliuit, inter plurima,
Bul: Dū quæ in nostri Ordinis Pontificali maiestate varijs à se editis
indefessæ. Constitutionibus prædicat, *Societatis Iesu,* quam venerabilem
1571. appellat, *filios tanquam palmites esse,* ait, *qui toto ferè orbe extensi, tam in oui-*
Bul: Sal- *bus dispersis, & extra ouile Christi, sacrosanctiq; imperij Christiani tutelam aber-*
uatoris, *rantibus, reducendis, quàm in lupis vespertinis, & leonum catulis in deuorationem*
an.1576. *expositis, reclamandis, & tam in nationibus Christiana religione initiatis, quàm*
& Ascē- *immanibus, barbarisq; Diuini cultus, & politici ornatus ignaris gentibus, ferinoq;*
dente an. *potiùs, quàm humano more viuentibus, Euāgelico sulco, & Ecclesiastica disciplina*
1584. *vomere,* vt cùm Pontifice loquar, *eruderandis, opimū vberrimumq; fructum in dies afferre non cessent ad omnia pericula pro vniuersali Ecclesia subeunda, præsto sint, & rebus arduis suscipiendis fructuosos operarios Romano Pontifici subministrent.* Hæc Christi Vicarius, cuius verborum momētis

ingens

ingens operis pondus accessit; cùm idè Pontifex Collegium Romanum, bonarum disciplinarum domicilium, mundi seminarium magnificentissimè extruxit.

Gregorius item XIV. in ipsius Societatis confirmationis deplomate, *eam divinâ prouidentiâ, nouissimis temporibus excitatam, adeò cum vniuersali Ecclesiâ coniunctam testatur, vt eius commoda vel incommoda, in commune totius Ecclesiæ bonum vel malum redundare necesse sit.* Bul: Ecclesiæ An: 1591.

Clemens VIII. quid de Societate nostra sentiret, id ipse declarauit Breui quodam Apostolico, Anno 1592. exarato, & Anno 1604. ab eodem confirmato, in quo dum Societati singularia quidem, sed pernecessaria saluti animarum priuilegia, & facultates concedit, sic loquitur.

Sicut, inquit, *de Catholica religione propaganda, & omnium salute procuranda, pro nostri Pastoralis muneris debito assiduè cogitamus, sic in remotioribus orbis terrarum partibus, quarum status præsentes inspicere non valemus, fidelium operariorum ministerio libēter vtimur. Proinde cùm diu nobis exploratum fuerit, quāta charitate, Zelo, & solicitudine dilecti filij Presbyteri illius Societatis* (IESV) *ad remotissima quæque loca nullis parcentes laboribus, nulla formidantes vitæ discrimina, pro Christiana religione propaganda, & pro Catholica fide conseruanda, & vbi etiam opus est, restituenda, ac demum pro animarum salute procuranda exire curauerint, & adhuc curent, quantoq; item studio ac diligentiâ dominicum agrum pijs officijs, ac studiis, quibus assiduè vacant, colere non destiterint, & hoc maximè tempore non desinant; nos sperantes ex eorum fideli ac diligenti operâ, maiores in dies fructus Ecclesiam Dei percepturam esse, quo magis ipsi fuerint Apostolicâ auctoritate suffulti, &c. plenam & amplam auctoritatem Apostolicam, tenore præsentium facultatem concedimus, & indulgemus, &c.* B. Sicut de Anno 1592. die 21. Martij. & Anno 1604. 28 Aug.

Paulus demum V. duplex huius veritatis testimonium in ipsa Societate confirmanda producit, seipsum, & orbem vniuersum, quibus sanè qui non credit, is credendi facultatis expers credendus est. Sed Pontificem, ex Petri sede loquentem, audiamus. *Quantum*, inquit, *religio Societatis Iesu in Ecclesia ad fidei, pietatis & religionis augmentum profecerit, & indies magis proficiat, nos ipsi scimus, & Christiana Respublica nouit vniuersa.* Hæc summus Christi in terris Vicarius, qui eâdem auctoritate, & eodem loco disertè addit, *hanc vnam causam esse, cur humani generis hostis diuersimodè hanc religionem perturbare, & ab incepto retardare malis artibus enitatur.* Ergo si supremi Iudicis sententiæ stemus, non propterea Anonymi, Bulla Quantū Anno 1606.

reliqui-

Et quidem quo ad *Valpolum*, facilè est ostendere, non ipsum facinorosum fuisse; sed calumniam ab Anglicano odio in eum profluxisse; res ita se habuit: Quidam *Squirus Anglus*, cùm in Hispania conuersus ad Catholicam religionem fuisset, deinde in Angliam rediisset, captus fuit à *Comite Essexio*, magnæ potentiæ viro; & cùm subiiceretur quæstionibus, vi tormentorum, in seipsum mentitus est: fassus enim est, se in Angliam venisse, vt *Reginam Elizabetham*, & ipsum *Comitem* veneno tolleret è medio. Cùm verò Comes vellet, vt Squirus, quod in quæstionibus fassus erat, in iudicio confirmaret, ad tribunal ductus est, & ibi accusatus; & in accusatione sunt additi alij complices, inter quos *Valpolus*, tunc Squirus omnia negauit, & vi tormentorum se mentitum asseruit. Sed iterum decipitur, fit illi spes salutis si fateatur; spe illectus, fatetur. Verùm cùm postea delusus, ad patibulum ductus fuisset, publicè circumfuso populo audiente, testatus est, se prius vi tormentorum, deinde spe vitæ, in seipsum, & in alios illud mendacium esse commentum; & cùm vrgeretur, vt vel saltem de Valpolo fateretur, de illo maximè negauit: imò ipso inscio ex Hispania, vbi tunc degebat, discessisse affirmauit. Res antiqua est, & aliàs confutata; sed aduersarij hæc mendaciorum rudera, pridem in sua iniquitate sepulta exhumãt, vt ijs, si fieri possit, innocentem Societatem obruant.

Garnetus S.I. Coniuratione contra Regem Angliæ factam omni studio impedire est conatus.

Quoad *Garnetum*, virum, omnium qui illum nouerunt, opinione pium & sanctum, illum traducunt *Edoardus Coquus Anglus*, & *Casaubonus Gallus*, à quibus plenam mendaciorum sarcinam accepit noster veritatis patronus; qui si veritatem amasset, eam apud *Eudæmon Ioannem* inuenisset. Breuissimè quædem afferro, ex quibus colligi possit, *Garnetum* non solùm non parricidam, sed parricidij innocentissimum fuisse, nec auctorem, suasorem, aut complicem coniurationis fuisse; sed coniurationi quibus potuit modis obstitisse. Cùm enim nondum vllam de coniuratione notitiam haberet, sed solùm ex coniecturis quibusdam aduerteret, Catholicorum aliquos animo graue aliquid agitare, malis obuiam seriò ire statuit. Primò igitur

igitur cœpit frequentiùs & feruentiùs in concionibus de patientia malorum, & propria Christianorum fortitudine disputare, atque hortari, vt ferendo vincere, quàm resistendo vinci mallent. qua in re adeò progressus est, vt *Catesbeius*, coniurationis caput, ægrè ferret, nec amplius, vti solebat, tum frequenter cum *Garneto* ageret. Deinde Romam *Garnetus* scripsit, se dubitare, ne aliquid accideret, & ideo consilium petere, quid sibi faciendum. & cùm responsum habuisset à *Præposito Generali* Societatis, tum à *summo Pontifice*, vt pro viribus omnes turbas & conspirationes impediret, ipse conuocatis, *Catesbeio*, & aliquibus aliis, quorum animos aduertebat esse turbatos, illis voluntatem *summi Pontificis* exposuit; grauissimè monuit, ne inuito Christi Vicario quicquam tentarent; si secus fecerint, Deo irato, felicem exitum ipsos non habituros. Demum, cùm in confessione, coniurationem à *Grienvaldo* ipsius Catesbei nomine accepisset; per eundem ea consilia Catesbeio suggessit, vt teste ipso Grienvaldo, maiore diligẽtiâ ac fide suggerere non potuisset, si de summi Pontificis capite, controuersia fuisset; omnino à tanto, tamque immani & Christiano homine indigno facinore, deterrebat, quia verò ea conditione secretũ illi creditum erat, vt nisi aliundè illud intelligeret, taceret, alto silentio rem totam inuoluebat.

Ex his colligo: Primò falsum esse, *Garnetum* fuisse auctorem, suasorem, complicem coniurationis, imò ab illa abhorruisse, & omni ope impedire voluisse. Colligo secundò, falsum esse, Garnetum vnquam fassum esse, se complicem, vel etiam conscium aliô modò, quàm per confessionem; imò ipso vltimo vitæ momento, magna animi Constãtia, innocentiam suã testatum esse, affirmant omnes, qui eius morti interfuerunt. Tertiò colligo, falsum esse, Garnetum animasse Catesbeium ad facinus, sed potiùs deterruisse. Colligo quartò, falsum esse, Garnetum ob aliam causam esse damnatum, & morti adiudicatum, quàm ob Catholicam religionem: & quia non reuelauit coniuratiõẽ, quæ sub sigillo confessionis, ea conditione illi credita erat, vt de ea nõ loqueretur,

nisi prius aliunde de illa re notitiam haberet; quod ipse sanctè seruauit, quia sanctè seruandum in sigilli illius reuerentiam esse existimauit. quæcunque ergo fingit, & affingit illi *Coquus Anglus*, & ex eo Anonymus Prutenus, totum est falsum. Spiritus enim tumultuandi, & coniurandi, longissimè absfuit à Garneto, sicut abest à Societate, vt ostendunt literæ Præpositi Generalis ad Garnetum datæ, & ab Eudœmon Ioanne relatæ.

Cur Garnetum Hæretici tot mendacijs infament.

Sed oritur dubium, quare *Coquus* & alij, tam diligenter quæsiuerint mendacia, quæ supponerent *Garneto*, illumque tot maculis deformatum proponant contemplandum. Ad hoc respondeo, quantum coniecturâ assequi possum, illam esse causam, quia *Garneti* ea fuit in vita virtus, & in morte constantia, vt omnium animos ad se rapuerit, & magna ob eius mortem cõmotio secuta fuerit; vt timuerint veritatis hostes, ne Garneti splẽdor, falsitatis tenebras disiiceret, & populo ad salutẽ facem præferret. Nec vana est coniectura, est enim fundata in iudicio, & relatione summorum virorum, qui adfuerunt, & de morte *Garneti* in eum, quem dixi sensum, magnificè scripserunt. Extant literæ apud *Eudæmon Ioannem*, potentissimi Regis Legati, qui inter alia, *mortem*, inquit, *tam constanter obitam ingens animorum commotio consecuta est, vt meo quidem iudicio, plures ad Christum traduxerit, plusq; vtilitatis hoc tanto fortitudinis exemplo attulerit Patriæ suæ, quàm viginti ipsis annis, quibus in hoc regno versatus est; illud argumento esse potest, quod cùm moris in Anglia sit, vbi auulsum cor caputq; proditoris carnifex extulerit, à multitudine acclamari, viuat Rex; in hoc supplicio acclamantis nulla fuit.* Hæc ille. Coniecturam confirmat, & veritatem aperit illud *miraculum de spica*, quòd sanctitati hominis additum, animorum commotionem augebant; & ideo ad auertendum ab admiratione *Garneti* populum, *Coquus*, & alij mẽdaciorum lutum, quo illũ macularet, quæsiuerunt; sed *Deus est gloriosus in sanctis suis*.

Denique aliud nihil hîc restat, nisi vt eundem Garnetum ab æquiuocationis calumnia vindicemus; illum enim exagitãt tanquam mendacem, sacrilegum, & eius occasione in omnes Doctores Catholicos inuehũtur. Quia verò multi hac de re scripserunt, breuissimè me expediam; negando Garnetum

vnquam

vnquam probasse illam æquiuocationem, quam illi aduersarij imponunt, quæ vel mendax est, vel mendacium continet, sed illā solùm, quam didicit ex sacris literis, & cuius exempla à sanctissimis viris accepit. Vellem enim mihi responderent aduersarij, quid sentiant de Abrahamo Patriarcha sanctissimo, quando Saram non coniugem esse affirmat, sed sororem; vtrum Abraham mentitus fuit? Quid de Iacob viro prælecto, quando se Iacob negauit, Esau affirmauit, an fuerit mēdax? Quid de Dauide Rege & Propheta, secundū cor Dei, quando cùm à facie Saulis fugeret, ab eo mitti Sacerdoti nūciabat? an ipse quoque mendax? & si Rex & Propheta mendax, quis verax? Quid de Iudith fœmina probatissima, de qua diuinum testatur oraculum, non fuisse, qui de ea loqueretur verbum malum; cui, vt Holofernes faciliùs deciperetur, Deus addidit splendorem; eritne qui in ea mendacium aperiat? Sed ne longum faciamus, quid dicent aduersarij de Christo ipso, quando se longius ire finxit? quando filium hominis extremi diem iudicij ignorare dixit? quando loquens in parabolis, volebat, vt Iudæi audirent, sed non intelligerent? Ad hæc & plurima alia similia, quid dicent grandes isti rerum Diuinarum Atlantes? quid clamabūt? quid vociferabuntur? ego expecto, vt ne nos à mendacio absoluant, se execrando mendacio irretiant, & Abraham, Iacob, Dauid, Iudith, & Christum ipsum mendaces pronuncient. Sed tunc præstabit nos cum Christo & Sanctis, (si ita fas loqui) esse mēdaces, quàm cum Caluinista aliquo esse veraces: *& grande solatiū nobis erit*, inquit S. Hieronymus, *ijs non placere, quibus displicet Christus.* Rursum vellem dicerent mihi si à latronibus cum S. Athanasio peterentur ad necem, an essent imitaturi S. Athanasium, vt vno verbulo periculum patibuli declinarent, an essent futuri tam religiosi, vt ne veritatem inuoluerent, in malam crucem irent

Gen. 12. *Gen. 27.* *1. Reg. c. 21.* *Iudith 10. 11.* *Epist. 99.*

Iam verò si vtrumque extremum vitare velint, vt neq; mēdacium admittant, neque Christum, cuius in ore dolus non

est, mendacem faciant; medium autem ipsi reperire nequeant, ne illos pudeat Doctorem Catholicum accedere, qui illos inter vtrumque extremum, recto tramite doceat incedere. Docebit enim magnum discrimen inter hæc duo esse, videlicet tegere verum, quod fit per illam æquiuocationem, quam *Garnetus* admisit, & licita est; & dicere falsum, quod fit per mendacium, & nunquam licet. Quod autem *Campianus* docuerit, licere loqui contra conscientiam etiam cum iuramento, is non est partus ipsius, est suppositìtius, sicuti & plurimi alij. Et manifestè probatur; nam si *Campianus* & *Garnetus* illā mēdacem doctrinam probassent, facillimè omnes difficultates, & mortem euadere potuissent; affirmando & negando, & iusiurandum interponendo ad decipiendos Iudices; quod non fecerunt, quia omnino doctrinam illam reprobârunt. Mentiri enim à Catholicis est alienum, proprium Hæreticorum; quibus quicquid libet, licet. neque hîc volo ipsorum mendacia enumerare, neq; referre quod narrat *Hieronymus Bolsecus* in vita Caluini, se didicisse, licere ad promouendam Dei gloriam, & Euangelium suum non modò mentiri, sed etiam innocentes per calumniam circumuenire; & meritò, quia cùm illud Euangelium sit fraudulentum, non nisi fraude videtur posse promoueri. Similiter taceo Zuinglium, qui reuocans primam sententiam, de præsentia Christi in Eucharistia, ait, se pridem falsitatem agnouisse, sed tempori fuisse seruiendum; id est, in re fidei mentiendum, pro albo docēdo nigrum. Demum mitto Lutherum, qui cùm maximè à Pontifice Romano abhorreret, & nihil minùs, quā de eius obediētiā cogitaret; ad illū literas illas dedit, quas refert Surius: *Beatissime Pater*, inquit, *prostratum me pedibus tuæ Beatitudinis offero, cum omnibus quod sum & habeo, viuifica, occide, voca, reuoca, approba, reproba vt placuerit; vocē Christi in te præsidentis & loquentis agnoscam.* hæc ille, qui non æquiuocabat, sed in re grauissima apertissimum mendacium vsurpabat.

Cap. 20.

Lib. de falsa & vera doctrina.

An. 1517.

Memini ego, cùm ante paucos annos Caluinista, seu vt vocant Picardita, eam Cathedram *Pragæ* occupasset, in qua olim Ioannes Hus suam hæresim promulgârat; & illam Diuini

cultus

cultus vmbram, quam adhuc Hussitæ seruabant, amandasset; ac propterea populum grauiter offensum esse intellexisset, sibique timeret; populum placare volens, quæ sustulerat, reposuit; eamque rationem reddidit, quia videlicet tempori seruiendum esset; simulareque ac mentiri liceret; quo in genere ipsum Paulum Apostolum aliquando peccatum mortale admisisse, ore impuro pronunciauit. Sed Hæreticos in mendaciorum luto inuolutos relinquamus, & ad vltimum propositionis nostræ caput descendamus, nostraq; testimonia cum aduersariorum testimonijs comparemus.

TESTIMONIA PRO ET CONTRA SOCIETATEM EXpenduntur: & vtris maior fides adhibenda sit, decernitur.

Caput XVI.

NON disputo hîc, vtri in rebus Societatis magis credendum sit, mihiné, qui nihil affero, quod non habeam perspectum; an illis, qui de ijs differunt, quæ prorsus nesciunt. Nam si hanc disputationem suscipere, facilè accidere posset, vt vel tanquam pars non audirer; vel tanquam arbiter suspectus haberer. Alios igitur, quos aduersarijs obijciam, proferre constitui; vt auctoritatem auctoritati, testimonia testimonijs, homines hominibus, veluti clipeos telis eorum retundendis, quin etiam retorquendis opponam; illudque efficiam, vt velint nolint, verum à nobis, falsum ab ipsis stare fateantur; modò illud concedant, quod sapientes omnes concedunt, vnicuique in sua arte credendum; & sicut cæcus non iudicat de coloribus, sic cùm de bono publico, de Reipublicæ incolumitate, de rectâ Principum gubernatione agitur, non quoslibet audiendos; sed peritos, sed sapientes, sed eos, qui cum laude ad Reipublicæ clauum sedent, in consilium adhibendos. Iam altissimum quasi veritatis montem animo cōscendamus, & inde veluti ex speculo, mente & cogitatione orbem vniuersum circumspiciamus, omnium ora & studia intueamur; & quinam Societatem nostram orbi Christiano

ingens operis pondus accessit; cùm idē Pontifex Collegium Romanum, bonarum disciplinarum domicilium, mundi seminarium magnificentissimè extruxit.

Gregorius item XIV. in ipsius Societatis confirmationis deplomate, *eam diuinâ prouidentiâ, nouissimis temporibus excitatam, adeò cum* *Bul: Ec-*
vniuersali Ecclesia coniunctam testatur, vt eius commoda vel incommoda, in *clesiæ*
commune totius Ecclesiæ bonum vel malum redundare necesse fit. *An: 1591.*

Clemens VIII. quid de Societate nostra sentiret, id ipse declarauit Breui quodam Apostolico, Anno 1592. exarato, & Anno 1604. ab eodem confirmato, in quo dum Societati singularia quidem, sed pernecessaria saluti animarum priuilegia, & facultates concedit, sic loquitur.

Sicut, inquit, *de Catholica religione propaganda, & omnium salute procu-*
randa, pro nostri Pastoralis muneris debito assiduè cogitamus, sic in remotioribus
orbis terrarum partibus, quarum status præsentes inspicere non valemus, fidelium *B. Sicut*
operariorum ministerio libēter vtimur. Proinde cùm diu nobis exploratum fuerit, *de Anno*
quāta charitate, Zelo, & solicitudine dilecti filij Presbyteri istius Societatis (IESV) *1592. die*
ad remotissima queque loca nullis parcentes laboribus, nulla formidantes vitæ di- *21. Mar-*
scrimina, pro Christiana religione propaganda; & pro Catholica fide conseruan- *tij. &*
da, & vbi etiam opus est, restituenda, ac demum pro animarum salute procuranda *Anno*
exire curauerint, & adhuc curent. quantoq; item studio ac diligentiâ dominicum *1604. 28*
agrum pijs officijs, ac studiis, quibus assiduè vacant, colere non destiterint, & hoc *Aug.*
maximè tempore non desinant; nos sperantes ex eorum fideli ac diligenti operâ, maiores in dies fructus Ecclesiam Dei percepturam esse, quo magis ipsi fuerint Apostolicâ auctoritate suffulti, &c. plenam & amplam auctoritatem Apostolicam, tenore præsentium facultatem concedimus, & indulgemus, &c.

Paulus demum V. duplex huius veritatis testimonium in
ipsa Societate confirmanda producit, seipsum, & orbem vni- *Bulla*
uersum, quibus sanè qui non credit, is credendi facultatis ex- *Quantū*
pers credendus est. Sed Pontificem, ex Petri sede loquentem, *Anno*
audiamus. *Quantum*, inquit, *religio Societatis Iesu in Ecclesia ad fidei, pie-* *1606.*
tatis & religionis augmentum profecerit, & indies magis proficiat, nos ipsi scimus, & Christiana Respublica nouit vniuersa. Hæc summus Christi in terris Vicarius, qui eâdem auctoritate, & eodem loco diserte addit, *hanc vnam causam esse, cur humani generis hostis diuersimodè hanc religionem perturbare, & ab incepto retardare malis artibus enitatur.* Ergo si supremi Iudicis sententiæ stemus, non propterea Anonymi,

reliqui-

reliquique veritatis,& crucis Christi iurati hostes Societatem persequuntur, quòd vel parricidia, vel scelera vlla patret, sed quia opera lucis, quam ipsi sustinere non possunt, perpetuò in Ecclesia Dei edit.

Hæc Summi Pontifices, id est, supremi nauis Petri Gubernatores, de auxilio quodã Societate in eiusdem nauis varijs tum hæresum, tum aliorum ignorantiæ, malitiæuè peccatorum fluctibus agitatæ, gubernatione accipiunt. Quibus plurimos alios Ecclesiæ Principes attexere possemus, qui non dissimilia de Societate testimonia, vel non rogati dedêre; & quæ de Ecclesia vniuersali Pontifices dixerunt, de suis particularibus Ecclesijs ipsi affirmârunt. Sed omnes prætereo, vnum in Regno Poloniæ STANISLAVM KARNKOVVSKI Archiepiscopum Gnesnensem, Regni Primatem; virum pietate in Deum, meritis in Patriam, authoritate in Regno, nulli secundũ accipio; eiusque verba in Priuilegio Collegij Calisliensis à se fundati, & ijsdem fermè verbis à Serenissimo REGE Stephano confirmati, expressa profero. *Postquam, inquit, animaduertimus, singulari Diuina prouidentia nostro seculo excitatos esse Reuerendos Patres Societatis IESV, qui sensim extirpando ex Ecclesia Dei, obsitos & inueteratos per contagionem vicinarum Prouinciarum diuersarum hæresum vepres, nouas plantationes in Domino fæliciter faciunt; iuuentutem in pietate & liberalibus studijs instruendo atq; exercendo, (vt quemadmodum per infectionem iuuentutis, in scholis hæreticis Germaniæ & Galliæ, hoc malum in Regnum irrepsit; ita salutari, diuinitusq; instituto antidoto, per eius, quæ succedit, iuuentutis reformationem, in scholis Catholicis antiqua & illibata reflorescat religio) minimè cunctandum nobis esse existimauimus, quin imo quantò citius elaborandum, vt prædicta Societatis Patres in nostra quoque Archidiœcesi Gnesnensi, piam ac salutarem nobis nauarent operam.* Hæc supremus rerum diuinarũ in Regno Poloniæ Antistes.

Archiep: Gnesnẽsis Regni Pol: Primatis, de S. I. testimonium.

Sed ad alterum testimoniorũ genus gradum faciamus, & à summis Pontificibus ad Generalia Concilia transeamus.

Vnum Societas vidit *Generale Concilium Tridenti*, ad vniuerso orbi in maligno posito medicinam faciendam congregatum. Vidit, & ab eo singulare laudis, & confirmationis priuilegium reportauit; quod tanti æstimandum est, quanti decretum

Conciliũ item Generalis Tridentini.

tum,nō leui aliquorū consultatione prolatū,sed totius Ecclesiæ in nomine omnipotentis Dei,eiusq; in terris Vicarij,congregatæ,ipso Spiritu sancto assistēte grauissima deliberatione sancitum,æstimari debet. Hæc sunt Principum Ecclesiæ testimonia,iam seculi Principes & Imperatores proferamus.

Testes pro Soc: Romanorum Imperatorum.

Quinque Societatis ætate regnârunt Augustissimi Cæsares,Carolus,Ferdinandus,Maximilianus,Rudolphus,& Matthias.Horumne aliquis fuit,qui Societatem non clementissimè amplexus fuerit? eique tanquam Christianæ Reipublicæ vtili, & ad reprimendos hæreticorum conatus necessariæ, domos,Collegia,in suis Regnis ac Prouincijs non fundauerit? vtque ab alijs fundarentur, clementer consensum præstiterit? *Carolus* Panormi in Sicilia, *Ferdinandus* Viennæ in Austria, Pragæ in Bohemia,Oenipotenti in Tyroli,Tyrnauiæ in Hungaria Collegia fundauit. Hæc postrema *Maximilianus* confirmauit,& stabiliuit. *Rudolphus* Brunæ in Morauia Domum Probationis,Turocij postea Selliæ in Hungaria, Glacij in Bohemia Collegia erexit. *Matthias* Lincij in Austria,& Zagrabiæ in Croatia similiter Collegia instituit. Cæsares imitati eorum Fratres,Filij,Filiæ, atque Nepotes, quot Collegia Societati fundârunt? *Carolus Ferdinandi filius, & Maximiliani frater*, Græcij in Styria,quale Collegium,qualemque Academiam erexit? *Magdalena* eius soror Halæ in Tyroli, altera soror *Eleonora* Mantuæ in Italia Collegia fundârunt. *Ferdinandus Caroli filius*,& antiquū Græcense Collegium à Patre fundatum auxit, & noua Labaci in Carniolia, & Clagenfurti in Carinthia Collegia instruxit; eiusque Frater *Leopoldus* Collegium Passauij in suo Episcopatu collocauit. qui duo vltimi Archiduces *Ferdinandus & Leopoldus* plurima alia domicilia, & Collegia in suis ditionibus eidem Societati extruere moliuntur. Vident enim Principes non minùs Christiana pietate, quàm Austriaca gloria Serenissimi,quantum adiumenti in ingenua educatione,& vera religione percipiant populi,eorum imperio subiecti.

Sed Austriacos & Austriam relinquentes, totam Germaniam circumspiciamus, & videbimus omnes *Illustriss: Sacri Ro-*

Testes Rom: Imperij Electores Catholici. manni Imperij Catholicos Electores, aliosque eiusdem Imperij Principes, Societatem adeò Ecclesiæ vtilem existimasse, vt certatim illam ad se vocârint, inque suis ditionibus, & Collegia, & Academias fundârint, & fundare non desistant. Inter quos omnes mirificè splendet *Serenissimorum Bauariæ Ducum* munificentia, quâ ea Societati Collegia instituerunt, ea domicilia ædificârunt, quæ cùm humilem Societatis affectum superent, Ecclesiæ tamen splendorem, & singularem optimorum Principum pietatem, eximiumque in Diuino propagando cultu, animum ostendunt.

Testes, Reges Hisp. & Lusitaniæ. Iam ad Hispanorum Lusitanorumque Regna mentem conuertamus, & nobilissima ac nunquam moritura Catholicorum, Serenissimorumque Regum de bona Societatis existimatione munimēta intueamur. Videbimus enim potētissimos illos Reges, nō latiùs Imperium suū, quàm Societatē nostrā, tam in Hispanijs, Lusitanijs, Flandrijs, cæterisq; veteris mundi, in ditione sua positis partibus, quā in ipso orbe nouo, in ipsis Indijs patere voluisse, vbiq; Collegia, vbiq; Societatis domicilia; vt quos virtus humana Hispanorum subiecit imperio, eos Societas nostra Christi subiiciat Euangelio. Et vt Catholicorum Regum in nos liberalitas agnoscatur, illud vnum referam, vt Salmaticense Collegium, pridem inchoatum, nunquam absolutum, tandem perficeretur à fæliciissimę memoriæ *Margarita Hispaniarum Regina*, grandis Coronatorum summa superioribus annis testamēto legata fuit; à Serenissimo verò coniuge Rege grandis annui census, summa vltimis hisce temporibus attributa, vt nimirum aucto vectigali, religiosorum quoque familia augeatur, & Deo, Ecclesiæ, ac Regno faciliùs, feliciusque in nobilissima Ciuitate, celeberrimaque totius Hispaniæ Academia seruiatur.

Testes Christianissimi Reges. Pergamus in Gallias, vbi sincerum *Henrici IV.* Regis Christianissimi in nos amorem adhuc viuum atque spirantem inueniemus; Collegium Flexiense, cordis Regij sepulchrū, & amoris testimonium intuebimur; & quod gratissimū spectaculum præbebit, parentis amorem in *Filium Regem* item Christianis-

ſtianiſſimum,nomine quaſi hæreditario trausfuſum videbi mus; & quanti nos cum *Regina Matre* faciat Rex, modò veli mus,facilè intelligemus.

Eadem facilitate,qua Germaniam, Hiſpaniam, Galliam, Indias peragrauimus, Italiam quoq; peragrare poſſemus;& inde tot ferè teſtimonia,omni acceptione digna, de Societatis moribus atq; doctrinâ excerpere, quot ſunt in ea Regna, Reſpublicæ, Principes, & Ciuitates præcipuæ. Sed quia res clarior eſt,quàm vt vllus poſſit negare, ideo ne Sereniſſimam M. V. diutius fatigem, in patriam redibo, ſi tamen prius vnicum teſtimonium omnium inſtar protulero. Is eſt S. Carolus Borromæus, qui non ſolùm ætate noſtra vixit, ſed Societati coniunctiſſimus fuit, eamque (ſi vllus alius) intus,vt aiunt,& in cute cognouit. Is ſemper Societatem vnicè dilexit,& paternè fouit;adeoq; operi ſalutis aptam iudicauit,vt ſemper illius operâ vti,ſemper in ſua Archiepiſcopali Eccleſia, qui numeroſiſſimo Mediolanẽſi populo panẽ frangeret,è noſtris eſſe;ſemper ſuorum laborum,ſuarumque viſitationum comites noſtros habere voluerit;& demum Mediolani Domum Profeſſam erexerit,Collegium fundauerit,ſicuti Aronæ Domum Probationis inſtituerat. Sanctus ille fuit,Societatem intimè nouit, amplum de eius innocentiâ re & verbo teſtimonium dedit;ſi ipſi non credatur, cui obſecro credendum erit?

Teſtis Italia vniuerſa

S. Carolus Borromæus quanti fecerit Societ.

InPoloniã propero,in cuius primo veſtibulo Sereniſſimũ Sigiſmundum II. Regem,ſapientia,experientia,potentia verè Auguſtum oſtendo, qui tanti Societatem fecit, vt primus illam in Regnũ admiſerit,Regia auctoritate firmârit,& ad eius ſtudia,tam ſpiritualia, quàm literalia in ampliſſima Vilnenſi Ciuitate promouenda,celebre S.Ioannis templum Parochiale,noſtro Collegio(vt ita loquar) incorporârit; Regiamque ſuam Bibliothecam teſtamento legârit.

Sereniſſ. Poloniæ Reges teſtes pro Soc. Ieſu.

Sigiſmundo ſuccedit Stephanus Rex Sereniſſimus, prudentia,pietate,rerum magnarum cognitione nulli ſecundus; qui ſi teſtimonium ex eo popoſcero, haud dubiè reſpondebit, ſi Societatem Regno minùs vtilem aut neceſſariam exi-

ſtimaſſet, nunquã tot illi Collegia, *Rigæ,Derpati,Polociæ,Claudiopoli, Varadini,Albæ Iuliæ,* fundaſſet; nunquam vel populos erudiendos crediſſet,vel iuuentutem erectis *Vilnæ,& Claudiopoli* Academijs inſtituendam tradidiſſet.

Iam Sereniſſimam M. V. appello, quæ inſtar omnium teſtimonium mihi dabit, omni omnium veneratione ſuſcipiendum; quo, vt ſpero, non ſolùm reliqua ſuperius allata confirmabit, ſed etiam manifeſtum faciet, ſe propterea hanc religionem ſemper clementer complexam eſſe,in ſuam tutelam ſuſcepiſſe, ei Domos Nouitiatus, Collegia, ac magnificentiſſima Templa *Orſæ,Vilnæ,Cracouiæ,* extruxiſſe, alibique extructa adiuuiſſe; quia ſemper illam vidit per rectas probitatis, & doctrinæ ſemitas incedere; diſciplinas ingenuo homine dignas promouere; populos pietatem edocere; peccata,in primis hæreſim,oppugnare;religionem auitam propagare;in vinea Domini ſtrenuè laborare; partes boni religioſi explere.

Teſtes Poloniæ Regni Proceres Eccleſiæ, ſtici,Coll: Soc:fundatores. Porrò ne ſoli Pontifices,Imperatores, ac Reges Societatem dilexiſſe,atq; promouiſſe videantur; poſſem in omnibus Regnis ac Prouincijs innumeros Magnates,ac Dinaſtas vtriuſque Ordinis ſacri & ſecularis afferre;qui idem de Societate quod Principes ſenſerunt,& fundatis Collegijs,ſuum vniuerſo orbi de Societate iudicium teſtatum fecerunt. Sed omnes prætereo,domeſtica tantùm exempla ſumo, & in medium profero non homines obſcuros, ſed clariſſimos viros; non priuatos,ſed in dignitate conſtitutos;non è media turba excerptos,ſed ex ſupremo Ordine ſelectos;qui cũ generis ſplendore nemini cedant;ætate,doctrinâ,experientiâ,meritis multis antecedunt:qui niſi & Patriæ ſtudioſi, & virtute probati, & rerum periti fuiſſent, nunquam tantam in Republica auctoritatem habuiſſent, nunquam eorum conſilia in publica adminiſtratione admiſſa fuiſſent.

Hoſius Cardina- Ducit agmen omnium memoria celeberrimus *Cardinalis Hoſius*, qui primus in Regno Poloniæ Societati Collegium Brunsbergenſe fundauit,quia illam in Concilio Tridentino

saluti animarum natam,vir prudentissimus agnouit. Illum imitati sunt multi grauissimi Præsules,qui ipsi quoque in suis Ecclesijs Collegia erexerunt, vti Illustrissimi & Reuendissimi, *Andreas Noskovvski* Pultouiæ; *Valerianus* Vilnæ; *Adamus Konarski* Posnaniæ; *Stanislaus Karnkovvski* Calissij; *Petrus Kostka,* *& Petrus Tylicki* Torunij, & Venerabile virginum S. Benedicti *Culmense Monasterium. Hieronymus Rozrazevvski* Gedani; *Martinus Szyskovvski,& Paulus VVolucki* Luccoriæ; *Io: Andreas Prochnicki*, adiuuantibus tribus viris magnis,Camenecij; *Nicolao Iazlovvieck* *Capitaneo Sniatinensi, Stanislao Lanckoronski Capitaneo Skalensi, & Valentino Alexandro Kalinovvski Capitaneo Camenecensi*, *& Podoliæ Generali. Adamus Nouodvvorski* Lomzæ. His addo Residentias tum Plociæ, tum Premisliæ institutas;illam ab Illustrissimo *Martino Szyszkovvski Episcopo Plocensi*, hanc ab Illustrissimo *Stanislao Siecinski Episcopo Premisliensi*, quam mira beneuolentia fouent & promouent, Illustrissimus *Adamus Stanicki* Palatinus Belzensis, & illius loci Capitaneus,ac Adm:Reu. *Hieremias Krasicki* Præpositus Præmisliensis. Et quia quæ à communitate fiunt,maiorem auctoritatem habere solent,vtpote plurium consilijs examinata; ideo addenda sunt vbique sacra venerabilium, pietateque & sapientiâ illustrium Canonicorum Collegia, quæ suis calculis, suorum Antistitum vota,Ecclesiæ & Reipublicæ salubria esse comprobarunt.

Iis,primus in Poloniâ Iesuitas adduxit.

Iam verò si alios ordinis secularis Fundatores aspiciamus, non minorem in his,quàm in primis sapientiæ ac dignitatis splendorem reperiemus;& vt Regias Serenissimi Regis Stephani,Serenissimæque M.V.fundationes in Polonia,Lithuania, Russia, Liuonia, Hungaria, Transyluania institutas, tanquam in altiori gradu collocatas, omittamus; vbique viros illustrissimos,& optimè de Republica meritos intuebimur. Niesuisij Sacri R. Imperij Principem,& Ducem *Christophorum Nicolaum Radziuilium* Palatinum Vilnensem, Lublini tunc equestris ordinis, postea sacri purpuratorum collegij *Bernardum Macieiovvski*, eiusque sororem *Catherinam à Macieiovvice VVapovvska* Præmisliensem Castellanam. *Nicolaum Zebrzydovvski*

Testes Proceres ordinis secularis, & aliæ personæ illustrissimæ,à quibus Col: Soc. in hoc Regno fundata.

Palatinum Cracouiensem. *Andream Comitem à Taczyn*, Palatinum item Cracouiensem. *Catherinam Taczyniam* Ducissam Slucesem. Alterâ item *Catherinam à Fulstin Vrbanska* Belzensem Palatinam. *Barbarâ Comitissam de Tarnovv Zamoscia* Regni Cãcellariã, & qui nõ vnum, sed plurima sibi sua liberalitate deuincit Collegia. *Nicolaum Danielovvicz* Castellanũ Leopoliensem, & curiæ Thesaurarium; pro cuius Collegij templo magnificè extruẽdo, magnã aureorum summam tribuerunt duo Serenissimi Reges, Stephanus & Sigismundus III. Iaroslauiæ occurret nobis *Zophia Kostka* Comitissa de Sproua, Sendomiriensis Palatina, eiusque filia *Anna Ostrogia Ducissa* Voliniæ Palatina. Sandomiriæ *Hieronymus Leznice Gostomski* Palatinus Posnaniensis. Leopoli eius soror *Elizabetha Gostomska Sieniâvvska* Regni Marschalca; & præterea duæ *Mielecia*, *Catherina* Illustrissimi *Ioannis Comitis ab Ostrorog* coniux, & altera eius soror; duoque fratres *Stadnicki*, *Adamus* Palatinus Belzensis; & *Stanislaus* Præmisliensis Castellanus. *Georgius Mnissek* Palatinus Sandomiriensis, & qui in eo Collegio constituendo, conseruando, promouendo, singularem amorem declarauit, *Stanislaus Zolkievvski* Kiiouiẽsis Palatinus, & Exercituũ Regni Poloniæ Ductor celeberrimus. Krosis *Ioan: Carolus Chodkievicius* Comes in Sklovv, Mysz & Bykovv, Ducatus Samogitiæ, Derpatensisq; Capitaneus, totius Liuoniæ Cõmissarius, & Generalis exercituũ Magni Ducatus Lithuaniæ Dux præclarissimus, cum lectissima fœmina coniuge sua *Zophia de Mielec*. Cracouiæ in triplici domo ad sanctum Petrũ, sanctam Barbaram, sanctum Stephanum: in prima S.M.V. reperiemus; in secunda nobilissimas familias, quæ certatim illam Domum Professam promouerunt, *Kormaniciam, Mnichouiam, Zebrzydouiam, Tenczyniam, Barzinia͂, Firleiam, Sapieiam*; in tertia Serenissimum Regẽ Stephanum, *Annã de Lipnik Kormanickam*, Castellanum Czechouiensem, & *Thomam Plazam* sancti Stephani Parochum, & præterea innumerã populi pietatẽ, quæ & Nouitiatũ iuuit, & Domũ Professam perpetuis eleẽmosynis alit. Sicuti in sancto Casimiro Vilnensi primo loco, eãdem R.M.V. cum Serenissima coniuge Regina *Constantia* reperiemus, Regiũ Regij sancti

ſancti templũ, Regia liberalitate ad perfectionẽ promouentes; illudq́; & altaribus, & alijs pretioſiſſimis donis exornantes; tũ videbimus illuſtriſſimos viros, *Benedictum VVoynam Epiſcopum Vilnenſem, Chriſtophorum Nicolaum Ducem Radziuilium, Ioan: Carolum Comitẽ Chodkieuicium, Leonem Sapiam M.D. Lithuaniæ Cancellarium, Hieronymum VVolouicz eiuſdem M. D. Theſaurarium*, & alios quã plurimos Regni Magnates, nobiliſſimã eiuſdem templi fabricã liberaliter vrgentes, vt quàm primum Societas ad gloriam Dei, & illius tutelaris Sancti, ibidem miniſteria ſua exercere queat.

Varſauiæ verò ob frequentes, qui ibi celebrantur, Regni Conuentus, non immeritò dicemus Domum Profeſſam à toto fermè Regno eſſe inſtitutam; quo tamen in opere, maximè claruit pietas Illuſtriſſimæ familiæ Goſtomiæ, tam in parente *Hieronymo* Palatino Poſnanienſi, quàm in filio *Ioanne* Palatino Inovvladislauiẽſi, & *Thoma* fratre Palatino Maſouiæ. Quibus accedunt alij illuſtriſſimi viri, & officijs in Regno Poloniæ magni, *Fælix Kriski Cancellarius, Stanislaus VVarſzycki Theſaurarius, & Andreas Bobola Camerarius.* Demum vltimus tempore, nõ item meritis occurrit Magnificus *Petrus Bal* Sanocenſis Subcamerarius, vir doctrina, virtute, prudentia ſingularis; qui Reſidentiam ſuo tempore in Collegium vertendam Croſnæ nobis inſtituit. Quod idem Rauæ præſtiterunt duo fratres *Stanislaus* & *Philippus VVolucij*, vnus ibi Capitaneus, Vexillifer alter.

Quia verò non ijs ſolùm qui bona pariunt, ſed ijs etiam, qui parta tuentur & augent, æqua laus debetur, fas erit hic eos attexere; qui ſingulari liberalitate & beneuolentiã hæc Societatis domicilia auxerunt, & magis ſtabiliuerunt; vti Pultouiæ fecerunt Illuſtriſsimi Antiſtites, *Albertus Baránovvski*, & *Martinus Szyſzkovvski*. Poſnaniæ Illuſtriſſimi itẽ præſides, *Lucas Koſcielecki, Stanislaus Karnkovvski, & Hieronymus Goſtomski*, Palatinus Poſnanienſis, & Magnus Regni Marſchalcus, & ſuperioris Poloniæ Generalis *Andreas de Bnin Opalinski*, quos in eo Collegio iuuando imitantur duo alij Illuſtriſſimi, *Andreas Opalinski* Epiſcopus Poſnanienſis, & *Adamus Sandiuoi Czránkomski* Palatinus Lanciciẽſis, & maioris Poloniæ Generalis. Vilnæ *Georgius Dux, & Cardinalis Rad-*

Teſtes tot illuſtriſſimi Societatis in Regno hoc bene factores.

reliquique veritatis,& crucis Christi iurati hostes Societatem persequuntur, quòd vel parricidia,vel scelera vlla patret,sed quia opera lucis, quam ipsi sustinere non possunt, perpetuò in Ecclesia Dei edit.

Hæc Summi Pontifices,id est, supremi nauis Petri Gubernatores,de auxilio quodā Societate in eiusdem nauis varijs tum hæresum,tum aliorum ignorantiæ, malitiæuè peccatorum fluctibus agitatæ,gubernatione accipiunt. Quibus plurimos alios Ecclesiæ Principes attexere possemus, qui non dissimilia de Societate testimonia, vel non rogati dedêre; & quæ de Ecclesia vniuersali Pontifices dixerunt, de suis particularibus Ecclesijs ipsi affirmârunt. Sed omnes prætereo, vnum in Regno Poloniæ STANISLAVM KARNKOVVSKI Archiepiscopum Gnesnensem, Regni Primatem, virum pietate in Deum, meritis in Patriam, authoritate in Regno, nulli secundū accipio; eiusque verba in Priuilegio Collegij Calissiensis à se fundati, & ijsdem fermè verbis à Serenissimo REGE Stephano confirmati, expressa profero. *Postquam,* inquit, *animaduertimus, singulari Diuina prouidentia nostro seculo excitatos esse Reuerendos Patres Societatis IESV, qui sensim extirpando ex Ecclesia Dei, obsitos & inueteratos per contagionem vicinarum Prouinciarum diuersarum hæresum vepres, nouas plantationes in Domino fæliciter faciunt; iuuentutem in pietate & liberalibus studijs instruendo atq; exercendo, (vt quemadmodum per infectionem iuuentutis, in scholis hæreticis Germaniæ & Galliæ, hoc malum in Regnum irrepsit; ita salutari, diuinitusq; instituto antidoto, per eius, quæ succedit, iuuentutis reformationem, in scholis Catholicis antiqua & illibata reflorescat religio) minimè cunctandum nobis esse existimauimus, quin imo quantò citius elaborandum, vt prædicta Societatis Patres in nostra quoque Archidiœcesi Gnesnensi, piam ac salutarem nobis nauarent operam.* Hæc supremus rerum diuinarū in Regno Poloniæ Antistes.

Archiep: Gnesnēsis Regni Pol. Primatis, de S.I. testimonium.

Sed ad alterum testimoniorū genus gradum faciamus, & à summis Pontificibus ad Generalia Concilia transeamus.

Vnum Societas vidit *Generale Concilium Tridenti*, ad vniuerso orbi in maligno posito medicinam faciendam congregatum. Vidit, & ab eo singulare laudis, & confirmationis priuilegium reportauit; quod tanti æstimandum est, quanti decre-

Concilium item Generalis Tridentini.

tum

ſum, nō leui aliquorū conſultatione prolatū, ſed totius Eccleſiæ in nomine omnipotentis Dei, eiuſq; in terris Vicarij, congregatæ, ipſo Spiritu ſancto aſſiſtēte grauiſſima deliberatione ſancitum, æſtimari debet. Hæc ſunt Principum Eccleſiæ teſtimonia, iam ſeculi Principes & Imperatores proferamus.

Quinque Societatis ætate regnârunt Auguſtiſſimi Cæſares, Carolus, Ferdinandus, Maximilianus, Rudolphus, & Matthias. Horumné aliquis fuit, qui Societatem non clementiſſimè amplexus fuerit? eique tanquam Chriſtianæ Reipublicæ vtili, & ad reprimendos hæreticorum conatus neceſſariæ, domos, Collegia, in ſuis Regnis ac Prouincijs non fundauerit? vtque ab alijs fundarentur, clementer conſenſum præſtiterit? *Carolus* Panormi in Sicilia, *Ferdinandus* Viennæ in Auſtria, Pragæ in Bohemia, Oenipotenti in Tyroli, Tyrnauiæ in Hungaria Collegia fundauit. Hæc poſtrema *Maximilianus* confirmauit, & ſtabiliuit. *Rudolphus* Brunæ in Morauia Domum Probationis, Turocij poſtea Selliæ in Hungaria, Glacij in Bohemia Collegia erexit. *Matthias* Lincij in Auſtria, & Zagrabiæ in Croatia ſimiliter Collegia inſtituit. Cæſares imitati eorum Fratres, Filij, Filiæ, atque Nepotes, quot Collegia Societati fundârunt? *Carolus Ferdinandi filius, & Maximiliani frater,* Græcij in Styria, quale Collegium, qualemque Academiam erexit? *Magdalena* eius ſoror Halæ in Tyroli, altera ſoror *Eleonora* Mantuæ in Italia Collegia fundârunt. *Ferdinandus Caroli filius,* & antiquū Græcenſe Collegium à Patre fundatum auxit, & noua Labaci in Carniolia, & Clagenfurti in Carinthia Collegia inſtruxit; eiuſque Frater *Leopoldus* Collegium Paſſauij in ſuo Epiſcopatu collocauit. qui duo vltimi Archiduces *Ferdinandus & Leopoldus* plurima alia domicilia, & Collegia in ſuis ditionibus eidem Societati extruere moliuntur. Vident enim Principes non minùs Chriſtiana pietate, quàm Auſtriaca gloria Sereniſſimi, quantum adiumenti in ingenua educatione, & vera religione percipiant populi, eorum imperio ſubiecti.

Teſtes pro Soc: Romanorum Imperatores.

Sed Auſtriacos & Auſtriam relinquentes, totam Germaniam circumſpiciamus, & videbimus omnes *Illuſtriß: Sacri Romani*

Testes Rom:Imperij Electores Catholici. manì Imperij Catholicos Electores, aliosque eiusdem Imperij Principes, Societatem adeò Ecclesiæ vtilem existimasse, vt certatim illam ad se vocârint, inque suis ditionibus, & Collegia, & Academias fundârint, & fundare non desistant. Inter quos omnes mirificè splendet *Serenissimorum Bauariæ Ducum* munificentia, quâ ea Societati Collegia instituerunt, ea domicilia ædificârunt, quæ cùm humilem Societatis affectum superent, Ecclesiæ tamen splendorem, & singularem optimorum Principum pietatem, eximiumque in Diuino propagando cultu, animum ostendunt.

Testes, Reges Hisp: & Lusitaniæ. Iam ad Hispanorum Lusitanorumque Regna mentem conuertamus, & nobilissima ac nunquam moritura Catholicorum, Serenissimorumque Regum de bona Societatis existimatione munimēta intueamur. Videbimus enim potētissimos illos Reges, nō latiùs Imperium suū, quàm Societatē nostrā, tam in Hispanijs, Lusitanijs, Flandrijs, cæterisq; veteris mundi, in ditione sua positis partibus, quā in ipso orbe nouo, in ipsis Indijs patere voluisse, vbiq; Collegia, vbiq; Societatis domicilia; vt quos virtus humana Hispanorum subiecit imperio; eos Societas nostra Christi subiiciat Euangelio. Et vt Catholicorum Regum in nos liberalitas agnoscatur, illud vnum referam, vt Salmaticense Collegium, pridem inchoatum, nunquam absolutum, tandem perficeretur à fælicissimę memoriæ *Margarita Hispaniarum Regina*, grandis Coronatorum summa superioribus annis testamēto legata fuit; à Serenissimo verò coniuge Rege grandis annui census, summa vltimis hisce temporibus attributa, vt nimirum aucto vectigali, religiosorum quoque familia augeatur, & Deo, Ecclesiæ, ac Regno faciliùs, feliciusque in nobilissima Ciuitate, celeberrimaque totius Hispaniæ Academia seruiatur.

Testes Christianissimi Reges. Pergamus in Gallias, vbi sincerum *Henrici IV.* Regis Christianissimi in nos amorem adhuc viuum atque spirantem inueniemus; Collegium Flexiense, cordis Regij sepulchrū, & amoris testimonium intuebimur; & quod gratissimū spectaculum præbebit, parentis amorem in *Filium Regem* item Christianis-

ſtianiſſimum, nomine quaſi hæreditario transfuſum videbi mus; & quanti nos cum *Regina Matre* faciat Rex, modò veli mus, facilè intelligemus.

Eadem facilitate, qua Germaniam, Hiſpaniam, Galliam, Indias peragrauimus, Italiam quoq; peragrare poſſemus; & inde tot ferè teſtimonia, omni acceptione digna, de Societa- tis moribus atq; doctrinâ excerpere, quot ſunt in ea Regna, Reſpublicæ, Principes, & Ciuitates præcipuæ. Sed quia res clarior eſt, quàm vt vllus poſſit negare, ideo ne Sereniſſi- mam M. V. diutius fatigem, in patriam redibo, ſi tamen prius vnicum teſtimonium omnium inſtar protulero. Is eſt S. Carolus Borromæus, qui non ſolùm ætate noſtra vi- xit, ſed Societati coniunctiſſimus fuit, eamque (ſi vllus ali- us) intus, vt aiunt, & in cute cognouit. Is ſemper Societatem vnicè dilexit, & paternè fouit; adeoq; operi ſalutis aptam iu- dicauit, vt ſemper illius operâ vti, ſemper in ſua Archiepiſco- pali Eccleſia, qui numeroſiſſimo Mediolanẽſi populo panẽ frangeret, è noſtris eſſe; ſemper ſuorum laborum, ſuarumque viſitationum comites noſtros habere voluerit; & demum Mediolani Domum Profeſſam erexerit, Collegium fundaue- rit, ſicuti Aronæ Domum Probationis inſtituerat. Sanctus il- le fuit, Societatem intimè nouit, amplum de eius innocentiã re & verbo teſtimonium dedit; ſi ipſi non credatur, cui obſe- cro credendum erit?

Teſtis Italia vniuerſa

S. Carolus Borromæus quanti fecerit Societ.

In Poloniã propero, in cuius primo veſtibulo Sereniſſimũ Sigiſmundum II. Regem, ſapientia, experientia, potentia verè Auguſtum oſtendo, qui tanti Societatem fecit, vt primus il- lam in Regnũ admiſerit, Regia auctoritate firmârit, & ad eius ſtudia, tam ſpiritualia, quàm literalia in ampliſſima Vilnenſi Ciuitate promouenda, celebre S. Ioannis templum Parochia- le, noſtro Collegio (vt ita loquar) incorporârit; Regiamque ſuam Bibliothecam teſtamento legârit.

Sereniſſ. Poloniæ Reges teſtes pro Soc. Ieſu.

Sigismundo ſuccedit Stephanus Rex Sereniſſimus, pru- dentia, pietate, rerum magnarum cognitione nulli ſecundus; qui ſi teſtimonium ex eo popoſcero, haud dubiè reſpondebit, ſi Societatem Regno minùs vtilem aut neceſſariam exi-

ſtimaſſet, nunquã tot illi Collegia, *Rigæ, Derpati, Polociæ, Claudiopoli, Varadini, Albæ Iuliæ*, fundaſſet; nunquam vel populos erudiendos crediſſet, vel iuuentutem erectis *Vilnæ, & Claudiopoli* Academiis inſtituendam tradidiſſet.

Iam Sereniſſimam M. V. appello, quæ inſtar omnium teſtimonium mihi dabit, omni omnium veneratione ſuſcipiendum; quo, vt ſpero, non ſolùm reliqua ſuperius allata confirmabit, ſed etiam manifeſtum faciet, ſe propterea hanc religionem ſemper clementer complexam eſſe, in ſuam tutelam ſuſcepiſſe, ei Domos Nouitiatus, Collegia, ac magnificentiſſima Templa *Orſæ, Vilnæ, Cracouiæ*, extruxiſſe, alibique extructa adiuuiſſe; quia ſemper illam vidit per rectas probitatis, & doctrinæ ſemitas incedere; diſciplinas ingenuo homine dignas promouere; populos pietatem edocere; peccata, in primis hæreſim, oppugnare; religionem auitam propagare; in vinea Domini ſtrenuè laborare; partes boni religioſi explere.

Teſtes Poloniæ Regni Proceres Eccleſiaſtici, Coll: Soc: fundatores. Porrò ne ſoli Pontifices, Imperatores, ac Reges Societatem dilexiſſe, atq; promouiſſe videantur; poſſem in omnibus Regnis ac Prouincijs innumeros Magnates, ac Dinaſtas vtriuſque Ordinis ſacri & ſecularis afferre, qui idem de Societate quod Principes ſenſerunt, & fundatis Collegijs, ſuum vniuerſo orbi de Societate iudicium teſtatum fecerunt. Sed omnes prætereo, domeſtica tantùm exempla ſumo, & in medium profero non homines obſcuros, ſed clariſſimos viros; non priuatos, ſed in dignitate conſtitutos; non è media turba excerptos, ſed ex ſupremo Ordine ſelectos; qui cũ generis ſplendore nemini cedant, ætate, doctrinâ, experientiâ, meritis multis antecedunt; qui niſi & Patriæ ſtudioſi, & virtute probati, & rerum periti fuiſſent, nunquam tantam in Republica auctoritatem habuiſſent, nunquam eorum conſilia in publicæ adminiſtratione admiſſa fuiſſent.

Hoſius Cardina- Ducit agmen omnium memoria celeberrimus *Cardinalis Hoſius*, qui primus in Regno Poloniæ Societati Collegium Brunsbergenſe fundauit, quia illam in Concilio Tridentino ſaluti

saluti animarum natam, vir prudentissimus agnouit. Illum imitati sunt multi grauissimi Præsules, qui ipsi quoque in suis Ecclesijs Collegia erexerunt, vti Illustrissimi & Reuendissimi, *Andreas Noskovvski* Pultouiæ; *Valerianus* Vilnæ; *Adamus Konarski* Posnaniæ; *Stanislaus Karnkovvski* Calissij; *Petrus Kostka*, & *Petrus Tylicki* Torunij, & Venerabile virginum S. Benedicti *Culmense Monasterium. Hieronymus Rozrazevvski* Gedani; *Martinus Szyskovvski*, & *Paulus VVolucki* Luccoriæ; *Io: Andreas Prochnicki*, adiuuantibus tribus viris magnis, Cameneccij; *Nicolao Iazlovviecki Capitaneo Sniatinensi, Stanislao Lanckoronski Capitaneo Skalensi, & Valentino Alexandro Kalinovvski Capitaneo Camenecensi, & Podoliæ Generali. Adamus Nouodvvorski* Lomzæ. His addo Residentias tum Plociæ, tum Prçmisliæ institutas; illam ab Illustrissimo *Martino Szyskovvski Episcopo Plocensi*, hanc ab Illustrissimo *Stanislao Siecinski Episcopo Præmisliensi*, quam mira beneuolentia fouent & promouent, Illustrissimus *Adamus Stanicki* Palatinus Belzensis, & illius loci Capitaneus, ac Adm: Reu. *Hieremias Krasicki* Præpositus Præmisliensis. Et quia quæ à communitate fiunt, maiorem auctoritatem habere solent, vtpote plurium consilijs examinata; ideo addenda sunt vbique sacra venerabilium, pietateque & sapientiâ illustrium Canonicorum Collegia, quæ suis calculis, suorum Antistitum vota, Ecclesiæ & Reipublicæ salubria esse comprobarunt.

Iis, primus in Poloniã Iesuitas adduxit.

Iam verò si alios ordinis secularis Fundatores aspiciamus, non minorem in his, quàm in primis sapientiæ ac dignitatis splendorem reperiemus; & vt Regias Serenissimi Regis Stephani, Serenissimæque M. V. fundationes in Polonia, Lithuania, Russia, Liuonia, Hungaria, Transyluania institutas, tanquam in altiori gradu collocatas, omittamus; vbique viros illustrissimos, & optimè de Republica meritos intuebimur. Niesuisij Sacri R. Imperij Principem, & Ducem *Christophorum Nicolaum Radziuilium* Palatinum Vilnensem. Lublini tunc equestris ordinis, postea sacri purpuratorum collegij *Bernardum Macieiovvski*, eiusque sororem *Catherinam à Macieiovvice VVapovvska* Præmisliensem Castellanam. *Nicolaum Zebrzydovvski*

Testes Proceres ordinis secularis, & aliæ personæ illustrissimæ, à quibus Col: Soc. in hoc Regno fundata.

ſancti templũ, Regia liberalitate ad perfectionẽ promouẽtes; illudq́; & altaribus, & alijs pretioſiſſimis donis exornantes; tũ videbimus illuſtriſſimos viros, *Benedictum VVoynam Epiſcopum Vilnenſem, Chriſtophorum Nicolaum Ducem Radziuilium, Ioan: Carolum Comitẽ Chodkieuicium, Leonem Sapiam M.D. Lithuaniæ Cancellarium, Hieronymum VVolouicz eiuſdem M. D. Theſaurarium*, & alios quã plurimos Regni Magnates, nobiliſſimã eiuſdem templi fabricã liberaliter vrgentes, vt quàm primum Societas ad gloriam Dei, & illius tutelaris Sancti, ibidem miniſteria ſua exercere queat.

Varſauiæ verò ob frequentes, qui ibi celebrantur, Regni Conuentus, non immeritò dicemus Domum Profeſſam à toto fermè Regno eſſe inſtitutam; quo tamen in opere, maximè claruit pietas Illuſtriſſimæ familiæ Goſtomiæ, tam in parente *Hieronymo* Palatino Poſnanienſi, quàm in filio *Ioanne* Palatino Inovvladislauiẽſi, & *Thoma* fratre Palatino Maſouiæ. Quibus accedunt alij illuſtriſſimi viri, & officijs in Regno Poloniȩ magni, *Felix Kriski Cancellarius, Stanislaus VVarſʒycki Theſaurarius, & Andreas Bobola Camerarius.* Demum vltimus tempore, nõ item meritis occurrit Magnificus *Petrus Bal* Sanocenſis Subcamerarius, vir doctrina, virtute, prudentia ſingularis; qui Reſidentiam ſuo tempore in Collegium vertendam Croſnæ nobis inſtituit. Quod idem Rauæ præſtiterunt duo fratres *Stanislaus* & *Philippus VVolucij*, vnus ibi Capitaneus, Vexillifer alter.

Quia verò non ijs ſolùm qui bona pariunt, ſed ijs etiam, qui parta tuentur & augent, æqua laus debetur, fas erit hîc eos attexere; qui ſingulari liberalitate & beneuolentiâ hæc Societatis domicilia auxerunt, & magis ſtabiliuerunt; vti Pultouiæ fecerunt Illuſtriſsimi Antiſtites, *Albertus Báránovvski*, & *Martinus Szyſʒkovvski*. Poſnaniæ Illuſtriſſimi itẽ præſides, *Lucas Koſcielecki, Stanislaus Karnkovvski, & Hieronymus Goſtomski*, Palatinus Poſnanienſis, & Magnus Regni Marſchalcus, & ſuperioris Poloniæ Generalis *Andreas de Bnin Opalinski*, quos in eo Collegio iuuando imitantur duo alij Illuſtriſſimi, *Andreas Opalinski* Epiſcopus Poſnanienſis, & *Adamus Sandiuoi Gzránkomski* Palatinus Lanciciẽſis, & maioris Poloniæ Generalis. Vilnæ *Georgius Dux, & Cardinalis Rad-*

Teſtes tot illuſtriſſimi Societatis in Regno hoc benefactores.

lis Radziuilius, Melchior Gedroicz Episcopus Samogitiæ, & *Stanislaus VVilczopolski* Canonicus Vilnensis. Gedani, is sub cuius tutela sumus, *Laurentius Gebicki* Antistes Illustrissimus, & qui nos fouerunt, & fouent, *Nicolaus Milonius, & Andreas Golinski*, præsens illius Ecclesiæ Officialis. Lomzæ *Adamus Kossobucki* Castellanus VVysogrodiensis. Camenecij non vnus vel alter, sed vniuersa *Podoliæ Nobilitas*, quæ desiderio iuuandi Collegij tenuiter fundati, excitata; publicam contributionem sibi indixit, & vt in Generalibus Comitijs confirmaretur, effecit. Magnum pietatis argumentum, magnum de Societatis integritate testimonium.

Nobilitatis Podoliæ singularis in Societatem affectus.

Sed vt tandem finem reperiam, cogor filum abrumpere, & plurimos, quos nominare possem, omittere; plurimas quoque Ciuitates, in quibus habitamus, præterire, quarum (si pauculas, quæ à nobis religione dissentiunt, excipias) pleræque omnes nos amant, & de nobis benè mereri student, vt CRACOVIA, VILNA, LEOPOLIS, POSNANIA, LVBLINVM, CALISSIVM, NIESVIESIVM, PVLTOVIA, IAROSLAVIA, VARSAVIA, & plurimæ aliæ.

Testes pro Soc: præcipuæ Regni Ciuitates.

At quorsum tam multi Fundatores? quorsum tam multi fundationū adiutores? de his enim solis hic loquor. Primùm, vt aduersarij, verumnè sit orbem vniuersum contra Societatem conspirasse, aduertant, & tanta maiestate obruti, veritatem fateri non erubescant. Deinde, vt omnes agnoscant, quales, & quāti sint illi, qui Societatem in hoc Regno propagatam voluerunt, & volunt: qui nihil vnquam in ea aduerterunt, quod bono publico obesset, vel potiùs non prodesset; nam si de omnibus fautoribus & benefactoribus agēdum esset, ferè Senatus vniuersus, vniuersū Regnū, populus vniuersus esset producendus. Nā quæ Dei bonitas est, & Regni pietas, tam in vna, quàm in altera Societatis Prouincia, magnā charitatem experimur; paupertas subleuatur; subsidia offeruntur, & beneficijs, vt tantò diligentiùs Deo & proximis seruiamus, deuincimur.

Quid inferatur ex enumeratione tot testium pro Societate.

Ecce Serenissime Rex, pro mea parte testes, non quidem plurimos,

plurimos, quos potui; sed paucos, quos selegi, coram S. M. V. produxi; vt eos examinet, & verané testentur, experiatur. Iam aduersarij suos proferant, & Pontifices cũ Pontificibus, Imperatores cum Imperatoribus, Reges cũ Regibus, Principes cũ Principibus, Populos cum Populis, Ciuitates cũ Ciuitatibus, Antistites cum Antistitibus, Palatinos cum Palatinis, Senatores cum Senatoribus, vno verbo, suos testes, cum meis, conferant; & tandem suos vel Anglos, vel nescio quos alios odio & inuidiâ percitos iactare, Societatemque vel sermonibus mordere, vel calamo velicare, desistant.

Mendaciũ insigne aduersarior Societatis.

Dum cogitarem, quosnam testes contra nos aduersarij producere possint; venit in mentẽ ille famosus libellus, in quo congesta sunt contra nos testimonia, & vnum primæ classis aduerti, qui cùm sit Pontifex, Pontificibus opponi posset, is est Iulius IV. quem auctor ille affert ad probandum nos mentiri, quando obedientiam Summo Pontifici profitemur, quia videlicet quod ipse in Societate seruari voluit, nos seruare recusemus. Dignum illô auctore testimonium, quod nunquã in rerum natura fuit; nullus enim vnquam in Romana sede sedit Iulius IV. Si ergo Pontifex non subsistit, quomodo subsistent alij inferioris notæ testes. Et si aduersarij tantùm audẽt, vt nostra ferè ætate Pontifices Romanos, qui nunquam fuerunt, fuisse fingant, quid fingere non audebunt? Digni certè sunt, quibus nunquam credatur, etiamsi quãdo verũ dicant. Quod si eum vel calamo, vel typo, vel etiam memoriæ errorẽ tribuant; profectò ex sartagine, vt aiunt, supra candentes carbones cadunt, id est, ex vno in alium, & quidem grauiorem mendacij laqueum, collum immittunt, tantùm enim abest, vt Iulius III. id quod ipsi asserunt, vnquam in Societate seruari iusserit, vt in Bulla, quâ eandem Societatem confirmauit, contrarium prorsus approbârit.

Bul. Iulius Epis. p. 49.

Quanta fides adbibenda aduersarijs Societ.

Ex his, ni fallor, facilè quisque colligere potest, propositæ quæstionis solutionem, an videlicet, & quantum nostris aduersarijs credendum sit, cùm enim toti suspicione, odio, fictione, cõuicijs, maledictis, falsitate sint cõpacti, patet non parũ,

nonmultum, ſed nihil fidei ijs eſſe adhibendum. Abijt enim in prouerbium: *Mendaci ne verum quidem credendum.* & à magnis viris audiui: *Carpere aſſuetos multa mentiri ſolitos.* Et hæc quidem de omnibus generatim; nam de ijs, qui lapidem proijciunt, & manum abſcondunt, id eſt, famoſos libellos ſcribunt, & nomen vel fingunt, vel non apponūt, quid ſentiendum ſit, quia res eſt criminoſa, non ego iudico, ſed ipſis vtriuſque Imperij Eccleſiaſtici & ſęcularis Monarchis decernendū relinquo.

Contra libellos famoſos, quorum auctores neſciuntur decreta Imparatorum.

Adeſt *Valentiniani & Valentis* Imperatorum edictum in Codice de libellis famoſis relatum. *Si quis*, inquiunt, *famoſum libellum, ſiue domi, ſiue in publico, vel quocunque loco, ignarus reperit; aut corrumpat, priuſquam alter inueniat; aut nulli confiteatur inuentum: ſi verò non ſtatim eaſdem chartulas vel corruperit, vel igne conſumpſerit, ſed vim eorū manifeſtauerit; ſciat ſe quaſi auctorem huiuſmodi delicti capitali ſententiæ ſubiugandum. Sanè ſi quis deuotionis ſuæ ac ſalutis publicæ cuſtodiam gerit, nomen ſuum profiteatur, & quæ per famoſum libellum proſequenda putauerit, ore proprio edicat, ita vt abſque vlla trepidatione accedat; ſciens quidem, quod ſi aſſertionibus ſuis veri[illegible]es fuerit opitulata, laudem maximam & præmium à noſtra Clementia conſequetur; ſi verò minimè hæc vera oſtenderit, capitali pœna plectetur. Huiuſmodi autem libellus alterius opinionem non lædat.* Hæc Imperatores. Ex quibus iure Cæſareo tria ſtatuuntur. Primò, libellorum famoſorum autores capite damnandos. Deinde, qui eos euulgant, eâdem pœna mulctandos. Tertiò, huiuſmodi libellos non obeſſe famæ eorum, quos infamant. Cuius rei *Cōſtantius* Imperator, vt in Codice Theodoſiano habetur, cauſam eleganter reddit: *Nam innocens*, inquit, *creditur, cui defuit accuſator, cùm non defuerit inimicus.* Hæc Cæſares, Cæſarumque leges.

Eccleſiaſtica pœna in occultos libellorū famoſorū auctores, & fautores.

At non minus ſanctitate, quàm rebus præclarè geſtis, Magnus Gregorius Primus Pontifex Romanus, in libellorum famoſorum auctores, ſic animaduertit. *Quiſquis ille ſit*, inquit, *qui hoc agere præſumpſit, id eſt, libellū famoſum ſparſit, vel conſenſum in tāto iniquitatis conſilio præbuit, ex Dei & Domini noſtri Ieſu Chriſti ſpiritu definimus, vt ſancti eius corporis & ſanguinis participatione priuatus ſit. Si verò quia latet, & quoniā neſcitur, teneri ad diſciplinam non valet, ſi tanti mali conſcius, etiā prohibitus corpus ac ſanguinē Domini percipere præſumit, anathematis vltione percuſſus ſit, vt fallax & peſtifer à ſancta Eccleſiæ corpore ſit diuiſus,* Hæc Pontifex ter

Maxi-

Maximus, ſanctitate, poteſtate, rerũ geſtarum magnitudine. Ex quibus habent noſtri horum libellorũ amatores, auctores atq; fautores, eiuſdẽ criminis eſſe reos, iiſdẽq; pœnis obnoxios. Illud autem grauitatem peccati maximam eſſe oſtendit; quia ſicuti lex Cæſarea corpori, ſic Pontificia animæ extremas pœnas infligit. Quod ſi vnum tantùm hominẽ infamare tanta culpa reputatur, tantaque pœna infligitur, quid de eo dicemus, qui integrum ordinem infamem reddere conatur? quæ pœna illi par inuenietur? Et iure quidẽ ac merito huiuſmodi libellorum auctores tam grauiter puniuntur, eorumq; lectio tam ſeuerè prohibetur, tum quia Reipub. noxij ſunt, vti exemplũ de Hungaria allatum demonſtrat, tum quia bonos mores corrumpunt: dum enim homo eorũ lectione delectatur, ſenſim malus fit, quia, vt S. Baſilius de legendis libris Gentilium ait: *Prauis aſſueſcere ſermonibus, via quadam eſt ad rem ipſam.*

Grauitas peccati ſcribentium libellos famoſos, & eis fauẽtium.

Cur libellos famoſos in Societatem ſcribẽtes nomina ſua ſupprimant.

Dum hæc meditarer, quatuor libelli famoſi in Societatem diuulgati, ad manus meas venerunt. Aduerſarij enim vti à Societate teſtimonijs veris, & palam probatis ſuperãtur; ſic ipſi falſis & malè conſcijs ſuperare nituntur; qui propterea tenebras amant, quia lucem ferre non poſſunt. Sed hæc eſt gloria Societatis, vt adeo eam eius inimici reuereantur; vt in eius conſpectũ venire non audeant. Hos ego libellos non confutabo, quia neq; confutatione opus eſſe iudico; ipſi enim per ſe ad ruinã inclinati abſque alieno impulſu facilè corruent, maximè cùm & à Vicario Chriſti ſint anathematis fulmine tacti, & Cæſarum legibus fide priuati, illud tantùm indicabo, quod ad rem noſtram facit, & omnem libellis fidem adimit.

Libellus famoſus, Monita priuata *S. I. falsò inſcriptus, qualis vnâ cum ſuo auctore.*

Nam ſi illum conſideremus, de quo ſuperius aliquam mentionem fecimus, & *Monita* inſcribitur, cùm ſtatim ſe totũ prodat ſpuriũ, monſtro ſimilẽ, nunquam in Societate viſum, nec vnquam Deo fauente videndum. Quis illi credat? imo quis *Cambilhonem* aliquem, id eſt, vocationis deſertorem non ſuſpicetur? Coniecturam facit illa cura, quã tam ſollicitè dimiſſos è Societate defendit, Societatẽ incuſat. Quod cùm prima frõte aſpicerem, mirabar hominẽ eſſe, qui aliquem à Societate de-

facere doleret, qui Societatem vniuersam stirpitus euulsam vellet. Sed cùm profundius hominis animum rimatus sui, profundissimam malitiam, specie pietatis vestitam, deprehendi. Quia nimirum dum religiosorum fictas miserias deplorat, arte fraudulentâ homines à religionis ingressu deterret; quò vno cuniculo totum ordinem euertere tētat. Vt enim arbor nullo vehementiori ictu deijcitur, quàm si radices præscindãtur; sic ad religionē perdendam, nihil accōmodatius, quā si ij, quibus propagari debet, ab eius ingressu deterreantur. Magnus, scilicet, pietatis amor in huius pectore regnat, qui integras religiones vno ictu si fieri posset, amputatas vellet. Vulpes agnita est, ringatur licet, non rodet, nec quos ad filium trahit pater, impediet.

At multis, inquit, hic modus dimittendi non placet. Quid mirum? sicut enim, teste Aristotele, nulla opinio tam absurda est, quæ patronos non inueniat; & nihil tam sordidum, inquit *Tullius*, quod non alicui venustum videatur; sic nihil tam sanctum, quod non prauis pateat hominum iudicijs. Satis est, vt nostrum institutum à Concilio Generali laudetur; Ecclesiæ probetur; à Christi Vicario defendatur. Sed neque optima ratio deest, nobis est necessarium; dimissis autem non inutile: nobis, inquam, necessarium; propterea enim mare purgatum est, quia sordes perpetuò ad littora pellit: ipsis autem non inutile, quia bos iugo frustra fatigatur, qui ceruices iugo aptas habere non reperiatur. At nota inuritur, viderit ille, qui in culpa est; peius esset, si morbida pecus reliquum gregem inficeret. Addo non omnibus notam inuri, sicut nec omnibus militibus, qui sacramento militari obstricti militiam deserunt; sed ijs tantùm, qui vel sunt profugi, vel turpiter eiecti. Sed vt finiam, omnes Societatem semper experiuntur piam matrem, nunquam iniquam nouercā.

Alter libellus famosus, *Testimonia* inscribitur, cuius vanitatem cùm non semel detexerimus, nihil reliquum morabor; cùm nemo non videat hunc falsarium non plus fuci pro colorandis suis fictionibus ex mortuis testibus reportatu-

taturum, quàm Pragæ ex mortuorum sepulchris armorum retulerint illi, qui arma sibi testabantur esse exploratissima.

Libellus famosus in Illustr. Cardinalem Bellarminum *& Societatem, qualis.*

Tertius famosus liber, petit quidem directè, non minùs pietate, ac doctrinâ, quã dignitate Illustrissimum Cardinalẽ *Bellarminum*; sed tamen se totum reflectit, & Societatem ferit. Quæ in eo continẽtur, adeò turpia & atrocia sunt, vt nõ sine stomacho ac fastidio legi aut audiri possint. Quare satis sit dicere, illum libellũ eo nomine impudentissimi mẽdacij esse conuictũ, quòd quæcunq; grauissima ibi narrãtur, vel mortẽ *Bellarmino* attulisse, vel mortẽ ipsam comitata esse, vel post mortẽ cõsecuta asserantur. Cùm autẽ Cardinalis *Bellarminus* viuat, alterutrum sequatur necesse est; vel in Bellarmino ob eius sanctitatem singulare resuscitati Lazari miraculum esse renouatũ, vel famosi libelli auctorẽ Cæsarum lege capite mulctandum. Addit fabellã de vno è Societate à Dæmone rapto; quæ res facit, vt existimem aliquem esse famelicum; qui vt ad explendam famem aliquot solidos inueniret, blasphemijs in Cardinalem, contumelijs in Societatem fœdauerit cartas.

Libellus famosus cõtra Iesuitas patrociniũ veritatis inscriptus, *mendacissimus.*

Quartus liber famosus, de quo non semel mentionem fecimus, *Patrocinium veritatis* inscribitur, qui nihil plus veritatis habet, quàm sit ipsius subscriptionis sonus; verbo tenus tantùm verus, re autem ipsa totus fictus, totus spurius, totus suppostitius, dignus, qui falsarij pœnis mulctetur, sicuti *Parisijs* mulctaretur, si ibi deprehenderetur. Mirum quantùm mendaciorum vndique coacervauit Auctor; ea enim est natura horum infamiæ architectorum, vt quasi calumniarum mercaturam exercentes, quidquid in hoc genere scribitur, inuicẽ communicent. Quare quicquid in Anglia, Gallia, Germania pullulat, ad nostrates mittitur; qui tanquam boni respondentes, ne in sterili solo nati videantur, quicquid hic crescit, cò remittunt, & vt boni amici, omnia inter se communia faciunt. Dum autem res per manus traduntur, & quilibet improbè de suo aliquid addit; pestiferæ huiusmodi merces, in immensum conuiciorum, maledictorum, contumeliarum excrescunt, quippe facinus egregium se patrasse credit, qui

portentosiore flagitio Societatem infamauit. Nec mirum; hæretici enim sunt, qui & Deum ipsum bonitatis fontem, peccatorum auctorem faciunt; & Ecclesiam Dei, in qua macula non est, scelerum sentinam asserunt. Cùm autem Societas summo conatu, & felici successu Deum & Ecclesiam à maledictis vindicet, in eam ipsi coniunctis viribus conspirârunt. Sed aduersùs veritatem portæ inferi non præualebunt, quia potius gratulandi argumentum, quàm dolendi nobis præbebunt, sicuti sancto Augustino eius persecutores præbuerunt; ad quem S. Hieronymus scribens, MACTE VIRTVTE, inquit, IN ORBE CELEBRARIS, CATHOLICI TE CONDITOREM ANTIQVÆ RVRSVS FIDEI VENERANTVR, ATQVE SVSPICIVNT; ET QVOD SIGNVM MAIORIS GLORIÆ EST, OMNES HÆRETICI DETESTANTVR; ET ME PARITER PERSEQVVNTVR; VT QVEM GLADIIS NEQVEVNT, VOTO INTERFICIANT.

Hæc habui Rex Serenissime, quæ de mea visitatione atque Societate significarem; vt V. S. M. quid nostri Patres in suo Regno agant, quidue patiãtur, quid illis obijciatur, & quid ab illis respõdeatur, intelligeret. Quod reliquum est, humillimè supplico V. S. M. vt hanc nostram minimam Societatem, suã, vt hactenus fecit, gratiâ clementer fouere, gratis eã impugnãtes Regiâ auctoritate constanter coercere, humillima nostra, & fidelissima obsequia, grato animo suscipere dignetur. Nos verò, beneficiorum memores, assiduas ad Deum preces, pro S. M. V. incolumitate, & felici regnandi prosperitate, fundere non desistemus.

CRACOVIAE, 14. FEBRVARII. 1615.

FINIS.